HIERONYMI DONATI

OPUS

DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI

CONTRA GRAECUM SCHISMA.

EDITORIS

MONITUM

Hieronymus Donatus, honestissimo loco Venetiis ortus circa annum MCCCCLVII, anno autem MDXI immaturo obitu Romae extinctus, linguae grecae magistrum habuit Theodorum Gazam, condiscipulum Hermolaum Barbarum, familiares Picum Mirandulanum, Marsilium Ficinum, Aldum seniorem, M. Ant. Sabellicum, Pierium Valerianum, qui litterarum principes illa aetate fuerunt. Plurimis pro sua patria functus muneribus, praefecturis, ac legationibus, otium tamen excolendis quoque tum sacris tum saecularibus disciplinis impendit; cuius rei testes sunt lucubrationes permultae egregiae, cum editae tum ineditae, quas diligenter cum auctoris vita enumerat P. Iohannes Augustinius in scriptoribus venetis T. II. p. 201. sqq. In his est opus *de Spiritus sancti processione* adversus Graecos, quod ineditum in vaticano codice conservari Augustinius praedictus novit, et mihi vaticanam bibliothecam perlustranti se obtulit, dignumque luce propter stili elegantiam, doctrinae vim, et sacri dogmatis tutelam visum est: praesertim quia aliud strictius opusculum *de primatu romanae Sedis* contra eosdem Graecos iamdiu typis romanis impressum fuit, et Clementi VII. P. M. inscriptum ab eodem Philippo, Hieronymi filio, cydoniensi in Creta episcopo, qui hoc multo maius paterni ingenii monumentum ad Leonem X. manu scriptum misit.

AD DIVUM LEONEM X· PONT· MAX·

PHILIPPI DONATI

IN LIBRUM HIERONYMI DONATI

DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI

PRAEFATIO.

Statueram iam pridem, Leo pont. max., Hieronymi Donati patris mei lucubrationes in lucem edere, cum ut quotidianis eruditorum virorum flagitationibus morem gererem, tum ut parentis nomen officiosius, quantum in me esset, posteritati commendarem; sed id genus officii ac pietatis differre in hunc usque diem coactus sum temporum culpa. Mortuo enim patre, flagrante saevissimo bello Italia, nullus omnino locus litterarum studiis relictus videbatur. Nobis vero filiis ad miserrimam orbitatem accesserat ingens patriae calamitas, ut adhibere animum non potuerimus ad ea quae pacem, otium, tranquillitatemque postulabant. Nunc postea quam tua in primis opera reviviscimus, animum revocavimus ad eas artes, quae te principem iamdiu meritissimum exoptarunt. Quod ad me attinet, quum haberem multa quae ederem paternae eruditionis monumenta, placuit praemittere quasi ceterarum editionum praecursorem librum de processione Spiritus sancti, opus nimirum multarum vigiliarum in quo Graecorum impietas vel patrio testimonio, tam docte, tam eleganter convincitur, ut pro Latinorum causa desiderari nihil praeterea possit. Scripsere de hac ipsa re multi tum Graeci, tum Latini, verum aut imperfecte aut barbare, ideoque legentibus vel desiderium vel nauseam reliquere. At is auctor (si filio de paternis dicere licet laudibus) id quod eruditissimi quique consentiunt, amplitudinem rei, de qua hic agitur, pari ornatu orationis complexus est. Cui vero potissimum nuncuparetur is labor, sane mihi ambigendum non fuit: sciebam enim librum de summa religionis christianae non esse edendum sub alterius auspiciis, quam illius, qui christianae religioni praeest arbiter ac moderator. Memineram insuper me legisse, Leonem pri-

mum pont. max. ad tollendos errores de Spiritu sancto quibus tunc universa orientis plaga referta erat, Chalcedonense concilium celebrasse. Ea propter tibi, qui eiusdem es nominis, parilisque in religionem affectus, apprime convenire tam nefarii erroris reliquias, si (quae adhuc extant) e medio tollere, edito huiusmodi libro, atque in omnes terras tuo iussu promulgato. Sed si nulla me alia ratio, seu amplitudinis tuae, seu bonitatis impelleret, ut paternos tibi labores consecrarem, debuit profecto id efficere summa observantia, singularisque benevolentia, qua tecum pater meus dum viveret, ita devinctus erat, ut devinctior esse non potuerit: nec dubito, quin si sua ipsemet edere potuisset, tibi uni dicasset, quaecunque de religione conscripserat. Quid igitur agendum fuit mihi filio paternae gnaro voluntatis? quum praesertim profitear non minorem erga te venerationem, quam pater in te, aut ego in patrem semper fuerim professus. Atque utinam difficilioribus curis solutus ad ceteras editiones adhibere animum possim! Est enim mihi in manibus liber epistolarum, opus (nisi me pictas fallit) eruditum pariter ac elegans: est et libellus de primatu romanae Sedis: est et paraphrasis in librum Aristotelis de physico auditu, quae opus omnium difficillimum ita clarum apertumque reddit, ut nullius penitus commentariis egeamus: est et de cretensi terraemotu copiosa epistola ab eo conscripta quo tempore Cretae insulae pro senatu veneto praeerat: sunt praeterea orationes multae, et alia complura. Quae omnia divino favente numine, tuaque ope, in animo est quam primum edere, ac sub tuo felici nomine publicare. Interim hasce primitias accipito, meque auctoris filium ita commendatum habeto, ut parentis mei simul memoriae, ac meae erga te observantiae non immemor, me in medio ipso deficientem opere, quae tua est humanitas, subleves ac sustentes.

HIERONYMI DONATI

DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI

CONTRA GRAECUM SCHISMA

LIBER PRIMUS.

PROOEMIUM.

Inter tot pestes animi, quibus omni ex parte obsidetur humana fragilitas, illa non omnium minima est, quod ad dissentiendum inter se pronae mentes hominum semper incumbunt: nec censere idem vult alius cum alio, ut dum aliud sentit, plus sapere videatur. Hic ab initio omnes aetates iamdiu morbus invasit, atque adhuc aevo nostro cum plurimis aliis vitae incommodis velut sedimentum est in fundo subsidens. Bruta animalia tribus dumtaxat discordiarum occasionibus irritari perhibent, loco, nutrimento, femina; pro quibus saepius aguntur in pugnam. Homini praeter haec addita est coniecturae et opinionis occasio, ex quibus non solum contentio et ambitio, sed odia et bella subcrescunt. Quum enim una sola sit veritas, infinitae tamen sunt coniecturae veritatis: quod quisque coniectatur, id amat, et verum putari vult, et velut plerique poëtarum stolidiores inepta carmina, ob id tantum quod sua sunt, admirantur. Praetereo magistros, quibus nos ipsos emancipamus, et in quorum, ut ait Flaccus, verba iuramus. Hoc procul dubio vitae portentum est, et contagio conversationis humanae, captivare ingenia, et animum ad liberam contemplationem veritatis natum pertinacia atque ignorantia coërcere. Hinc per antiqua tempora, quum de Deo, de rerum naturae principiis, de anima, et aliis plerisque rebus addicti opinionibus, non tantum varia, sed etiam falsa sentirent, ortae sunt sectae veterum philosophorum, quae diversa sibimet nomina indiderunt. Hinc etiam post editam evangelii lucem, hoc est postea quam per Christum Iesum salvatorem nostrum, veritas de terra orta est et iustitia de caelo prospexit, profligato scelerum et daemoniorum cultu (quia nihil um-

quam homini in hac vita ab omni parte beatum est) ex eodem morbo distractae haereticorum impietates, fidem orthodoxam, et catholicam infecere, Arriani, Sabelliani, Eutychiani, Nestoriani et ne singulos prosequar labefactores purae fidei et carnifices evangelicae veritatis, ex eadem pertinaciae labe et contagione profecti sunt.

Contra quorum iusanias et deliramenta non solum statuta concilia sunt, sed etiam post dimissa concilia, a maximis quibusque catholicae fidei assertoribus tam graecis quam latinis abunde pugnatum est. Clade tamen incredibili deinceps accepta, quae maximam partem orbis terrarum evertit, scelere atque impietate maumethanae perfidiae, quae Christum professa natum ex virgine, anhelitum Dei patris, non filium, legem evangelicam, mentis inscitia, quam in primis profitetur infregit, et promissis ac permissis vitae turpioris illecebris inquinavit. Origo totius huiusce christianae calamitatis ab hac ipsa peste profecta est, dissidentibus inter se iis, qui se primum utrimque dixere Christianos, ut tota Maumethanorum secta christianorum fere hominum dici possit: quae ex origine valentinianae, et manicheae, et nestorianae haereseos, a vera Christi fide prolapsa, in perditionis barathrum praecipitata sit: namque a principio minimis in rebus dissentientes in devia deducti, velut errore verae semitae, tandem a doctrina Christi longissime recesserunt. Successit deinde paulatim inter orientis et occidentis ecclesias aliqua semper ex eadem labe discordia, ex qua orthodoxae fidei ingens ulcus obrepsit, quod perductum saepenumero fere ad cicatricem, novis semper tuberculis sanie rediviva subputruit: et eo latius ac pertinacius carcinomatis huius labes serpuit, quo diutius infelices Graecos sua etiam lingua destituit: ut tantae nunc aegritudinis remedia a praestantissimis, quos habent, medicis animarum petere non possint.

Commiseratio. Infelix Graecia flos olim orbis terrarum (proh dolor! ita est humanarum rerum vicissitudo) olim fons ingeniorum, et doctrinarum ac scientiarum inventrix et arbitra, nunc non solum doctrinae et scientiae, sed etiam primarum dictiuncularum et elementorum ignara, non potest suos auctores videre, non potest legere, non potest discere, Basilium, Athanasium, Cyrillum, tres Gregorios, nazianzenum, nyssenum, neocesariensem, Chrysostomum, Dionysium, Epiphanium, Maximum, Iohannem damascenum

aliosque permultos assertores catholicae fidei, lumina christianae religionis. Hos ego nunc mihi duces eligo, quasi fontes ex quibus hauriam, quasi flores ex quibus colligam antidotum veneni, quod olim a Photio introductum, nunc Graeciam plus solito perimit: quae offusa ignorationis et pertinaciae tenebris, tot radios evangelicae lucis deserit, atque his relictis, dat manus nescio quibus homunculis, et quasi prodigiis humanae vitae, quorum studium et sola religio est, ut occidentalibus hominibus infensi sint; ut impossibile existiment eundem simul esse posse latinum hominem et christianum. Istos specie boni decepta plebs sequitur: et quum prima christianae professionis virtus sit diligere, discunt odisse: non cogito haec sine lacrymis, nec scribo sine singultibus et suspiriis: catholicos se nuncupari nolunt, sed Graecos: in promissa barba, et crinibus impexis, ac sordibus putant religionem Christi consistere: romanam ecclesiam, et Petri apostoli sedem odisse prima professio est: hoc tantum quaeritur, hoc tantum habeant: negligunt cetera, sint ignari, sint sine litteris, sint sine caritate, sint sine evangelio et doctrina Christi. Sive hoc peccatum gentis sit, sive poena peccati, non disquiro: hoc tantum cupio, ut resipiscant, et ut Deus tandem prolapsae in interitum Graeciae misereatur, et opem ferat illi super stratum doloris eius.

Sane Creta insula, cui nunc ego universae dux praesidebam, Creta inquam illa hecatonpolis, centum urbium fama insignis, quam ad Graeciae principatum natam Aristoteles memorat, et ex qua Lycurgum leges accepisse testatur, ipsa quoque hac contagione infecta non minimum est: et nisi missa iam ab annis trecentis et amplius Venetorum colonia obstitisset, non solum civilitatem, sed religionem quoque ortodoxam penitus amisisset; nunc autem antiquae nobilitatis claras reliquias retinens, non omni ex parte prorsus infecta est. Itaque hoc quoque officium boni provinciae praesidis existimabam, eos quibus praeessem, non solum in veneto senatu, sed etiam in Christo, et eius sancto Spiritu habere carissimos; neque putare tantum ad me pertinere, purgare provinciam malis hominibus, quam mentes etiam hominum malis erroribus. Igitur dum conquiro quod per succisivas horas legam, occurrerunt mihi ex dispersarum litterarum reliquiis graeci theologi, quos supra enumeravimus: nihil mihi visus sum melius potuisse legere: sed nec tam legere, quam ex iis ipsis errores graeci schismatis refellere. Graecis ergo

hominibus graece scribens (1), et testibus graecis auctoribus, quid recte de Spiritu sancto sentire debeant, Deo bene iuvante commonstrare ex evangelica doctrina constitui. Quod mihi fortasse difficilius futurum est, quia quiequid et librorum et ingeniorum in Graecia reliquum fuerat, id iam totum in Italiam commigravit, praeter eum, quem hic reperi Aristobulum Apostolidem antistitem optimum, cum quo solo ex Graecis omnibus in Creta graece loqui potui. Is ut moribus praestat et litteris, ita sua bonitate, et meo etiam suasu, ex iuventute aliquos iam suscitat, quos instituat, ut haec possint legere, et ut graecae litterae Graecis aliqua ex parte restituantur.

Neque tamen ignoro me fortasse imprudentius facere, qui de re tanta disserere audeam, quae non nisi purgatissimis mentibus cernitur: et quia de Spiritus sancti processione loqui non possumus
Psal. nisi in Spiritu sancto, vereor ne per prophetam mihi dicat Deus: quare tu enarras iustitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? tu vero odisti disciplinam et proiecisti sermones meos. Sed fuerit haec moribus meis aliena professio, certe studiis aliena non est: et ex iis, quos supra enumeravimus, fontibus et floribus bene sperare est. Id praeterea me consolatur, quod nemo prohibetur ingredi caritatis viam, ut ad eum possit tendere, de quo, ut
Augustinus ait Augustinus, scriptum est, quaerite faciem eius semper. Iuvabit enim sanctus ipse Spiritus conatus meos, qui si ubi vult spirat, quanto magis spirabit, ubi de suae processionis veritate disseritur?

CAPUT I.

Quanta difficultas circumstet eum, qui de Spiritu sancto, sicut de universo Trinitatis mysterio, disserit.

De hac igitur Spiritus sancti processione, sicut de universo summae Trinitatis mysterio, quantum ego ex graecis simul et latinis auctoribus coniicio, satius est credere et cogitare, quam loqui; quia cum de re ineffabili fari volumus, nominibus utimur ex sen-

(1) Hinc, et demum cap. III, cognoscimus scriptum opus hoc ab Auctore primum graece in Creta; quod deinde in Italiam redux fecit latinum; et quidem, ut puto, Romae dum legationis munere apud Pontificem M. fungeretur. Certe ita se gessisse in scriptione opusculi de primatu, testis est Philippus filius in eiusdem praefatione.

su et cogitatione translatis in eo exprimendo mysterio, quod non solum supra omnem sensum et cogitationem, sed supra omnem etiam intelligentiam est. Et ideo facillime fallimur, et quam saepissime in tenebris cespitamus; quia ut ait divus Aurelius Augustinus, mentis humanae acies invalida in tam excellenti luce non figitur. Pater enim, Filius, Spiritus sanctus, generare, genitum esse, procedere, licet magnum et ineffabile mysterium explicent, sunt tamen nomina ex humanae imbecillitatis similitudine derivata: ea quanto simplicius et castius possumus, divinitati simplicissimae coaptamus. At vero id quod totius naturae causa est, quod supra omnem naturam eminet, naturalibus verbis et rationibus assequi sperare vanissimum est, generare, genitum esse, procedere, prodire, egredi, exire, effundi, pullulare, scaturire, nostrae infirmitatis vocabula et particulae idiomatis sunt. Quid in his gloriamur, et dilatamus fimbrias, atque ob id nos magistros in tanta re facimus? in qua utinam discipuli merito esse possemus! Improvida et stulta mortalitas de re immortali disserit, et caeca ac plena proprii amoris ambitio, dum de tanta re considerat, circa dictiunculas hallucinatur, et fluctuat, nec quid in re sit, quaerit; nec quid dicatur, exigit; sed quomodo, et quibus nominibus, explicetur. Una ubique veritas est, una ubique Trinitas unus Deus, quae varie excipitur cogitationibus nostris, varie exprimitur vocibus nostris. Nos in sirpo nodum ponimus, et in tranquillissimo lactis alveo, velut in magno oceano, fluctuamus.

Augustinus.

CAPUT II.

Quod fide opus est in sanctissima Trinitate intelligenda. Undenam circa ipsam de Spiritus sancti processione sententiam dissidia manaverint.

Quamquam autem sanctae atque individuae Trinitatis unitas merito in sacris litteris ineffabilis nuncupata est, quia non potest exprimi voce sensuali, nec humana ratione comprehendi, magnum tamen atque incredibile est in ea re fidei iuvamentum. Fides enim nostra, quae nostra victoria est, quae vincit mundum, ipsa nos extollit supra vires nostras, et facile ostendit contemptissimam esse rem hominem, si non supra humana nitatur. Mens itaque hu-

mana a tam excellenti luce non prorsus excluditur, si per fidei iustitiam illustratur, nec in tam alto pelago navigare prohibetur, si fidei temone regitur. Lux enim quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, est ipsa lux fidei, quae procul dubio a Christo, qui vera lux est, provenit, et mentis nostrae aciem acuit, et in caecitatis nostrae tenebras lumen inducit: quo sublato diversis diversa sentientibus atque tradentibus, ex eadem quam supra retulimus proclivi pertinacium mentium dissensione, tot pestes haereticorum obortae sunt, ut indiscissa illa Christi tunica, et desuper texta per totum, minutatim per frusta discerpta sit. Longum et prope infinitum esset numerare perversa dogmata eorum, qui eam aut disciderunt, aut maculis et rugis pessime inquinaverunt. Huic in dies latius serpenti malo occurrere conata est sancta mater ecclesia trecentis decem et octo patribus in Nicaea civitate Bithyniae congregatis, unde prima nicaena synodus dicta est, de qua latius postea disseremus. In ea symbolum editum est, quo quasi signo et velut indicio in Christi militia quisque contra haereticos aut commilitonem se proderet aut inimicum. Sed dum in eo dictum est Spiritum sanctum a Patre procedere, non habita hac in parte mentione Filii, licet in sacris scripturis ubique Spiritus sanctus ita Filii dicatur esse sicut et Patris, procedente tempore inter orientis et occidentis ecclesias disputatio suborta est, quae postea, ut ostendemus, a Photio pertinacius in contentionem versa, adeo mentes utriusque ecclesiae distraxit, ut quamquam post florentinam synodum sub Eugenio quarto pont. max. anno ab hinc, dum haec scribebam, septimo et sexagesimo (1) congregatam, in qua convenientibus omnibus, qui tunc aderant Graecis, magnae tunc in litteris sacris auctoritatis et nominis, sedari omnis controversia visa est. Maiora tamen subinde irritamenta successerunt, Marco quodam ephesino episcopo cum ea quam in synodum attulit pertinacia, inde in Graeciam reverso; et Georgio Scholario, qui ante cum ceteris graecis patribus in florentina synodo pacem ecclesiarum approbaverat, sed ob id quod una cum Bessarione nicaeno et Isidoro rutheno ad cardinalatus dignitatem assumptus non fuerat, indignatus, ut erat vir acri ingenio, sic etiam acri ira percitus, per omnem Graeciam simulato religionis

Nicaena synodus.

Eugenius PP. IV. Florentina synodus.

(1) Ergo hoc opus scribebat Donatus circa annum MDVI.

et christiani dogmatis zelo, palinodiam cecinit, et maiorem et latiorem pestem induxit. Hi ergo submissis ignaris et rusticis, in quos facillimum est pertinaciae documenta congerere, dissensionum semina inter utramque ecclesiam non solum nutriverunt, sed aperte propagaverunt et auxerunt: vilis enim et indocta plebecula, quod minus intelligit, hoc plus miratur et credit.

CAPUT III.

Quo pacto ipso in opere sit procedendum, et quod ante omnia Graecorum auctoritate theologorum utendum.

Verum prius quam discutiamus quantum ex levi causa in re alioquin magna (quid enim Trinitate maius est!) Graeci, qui se catholicos nuncupari nolunt, ab Latinis discrepent, aliquanto altius nobis ordiendum est, ut non solum auctoritatibus, sed etiam piis rationibus innitamur. Et quidem ubi inter Christianos agitur, concessis evangelicae doctrinae principiis, praeter auctoritates scripturarum, pie deducta ratio plurimam mihi partem obtinere videtur. Sed dum cum Graecis in Graecia graece loquor, hoc illis ex indulgentia tribuo, ut Graecorum in primis auctoritatibus niti velim, quibus Latinorum rationes muniam, et validiores reddam. Exponemus ex evangelio, ex epistolis, ex graecis theologis, quae in processione Spiritus sancti ad explanandam viam veritatis putabimus pertinere: agemus stilo simplici et rudiore forsan, quam ut graecae eloquentiae conveniat. Ad haec enim scribenda graecis litteris non me ambitio, sed caritas invitavit: nec exceptis iam in sacra doctrina vocabulis etiam apud iuniores theologos quandoque uti verebimur; quia si, teste Ambrosio in exquirendo mysterio Trinitatis mens deficit, vox silet non solum hominum sed angelorum, exprimenda a nobis est quibus dictionibus et verbis possumus summa veritas, quae inventionis et eruditionis humanae vocabulis non est alligata. Ambrosius.

CAPUT IV.

De sanctissima Trinitate summatim clarissimeque quantum pertinet ad praesens institutum.

Suprema itaque Trinitas, unus Deus, primum omnium causarum rerumque principium, maxime unum, maxime simplex esse non ambigimus: immo vero sola Trinitas vere simplex est; quicquid enim, praeter hanc, unum aut simplex dicitur, ab hac unitatem et simplicitatem recipit, quae principium est totius unitatis et simplicitatis. Hoc fides tenet, quod ratio etiam humana concludit, ut nihil simplicius, nihil verius, et magis unum, cogitari possit Deo. Tantae unitati ac simplicitati nullo pacto contraria est, immo vero, ut inferius declarabitur, maxime necessaria Trinitas personarum. Hoc asserunt Latini, hoc fatentur et Graeci, quia utrique credimus evangelio Christi: tametsi id satis est christianis hominibus fide consequi, neque rationem in tam alta re quaerere, in quam vis humani ingenii intenta, velut ab excessu lucis mutila redditur, atque hebetatur Sed tamen fides confirmat, ut diximus, mentis oculos et rationibus etiam adiuvat: sanctorum hominum auctoritates, quae gratia et clementia Spiritus sancti a tot graecis latinisque patribus enarratae altius nos progredi faciunt, ut qui prius quasi modo geniti infantes lac concupiscebamus, facti per fidem adultiores et firmiores, aliquid etiam solidioris cibi summis saltem labiis gustare possimus: ut non solum homo christianus cum christiano possit uti rationibus, sed in plerisque etiam cum homine non christiano, qui licet Trinitatem non fateatur, fatetur tamen Deum, et principium rerum omnium, et sapientem, et bonum: fateatur hic etiam, velit nolit, oportet Deum se nosse, et se velle, quum in eo suprema cognitio sit, et supremus amor, immo vero omnis origo cognitionis et amoris, sine quo nihil cognoscit, aut amat.

Esse igitur in Deo animadvertimus aliquid, quod cognoscit et amat, et quod noscitur et amatur. Haec in Deo unum sunt, neque accidentia sunt, quia idem essentialiter est, non solum id quod noscit et noscitur, et quod amat atque amatur, sed ipsa omnino voluntas sive amor, et cognitio. Sed nosci et notum esse, amare et amatum esse, relativas oppositiones quum habeant, in quantum alterum et alterum est, et ab altero diversum, esse relativum habeant necesse est,

et quasi essendi modum, quia nihil potest esse sibi ipsi. Idem relative et personaliter in quantum generans et genitum est, quum nulla res, ut ait Augustinus, se ipsam gignat. Servata igitur unita- Augustinus. te essentiae, quia Deus sine sapientia et voluntate non potest intelligi, remedium vocabuli humana imbecillitas usurpavit. Nomen igitur hypostaseos a Graecis, a Latinis personae, adinventum est: neutri tamen sufficit ut in tanta simplicitate et unitate essentiae Trinitas exprimi possit. Et quid mirum si ubi cogitatio deficit, vocabula etiam ipsa deficiant? Ex hac itaque consideratione dictus est Pater, Filius, et Spiritus sanctus una essentia, una divinitas, una Trinitas personarum, quarum unaquaeque a nobis sicut omnes simul intelligitur, et dicitur idem Deus. Nemo igitur imputet nobis quasi tres deos fateamur, nemo exclamet, nemo contra nos pugnet, quasi aërem verberans et id quod non intelligit damnans. Vetus gentilitas hebeti lumine et obtusa acie urgente vi veritatis Deum semper appellavit patrem: ὦ πάτερ ἡμέτερε Κρονίδη, et πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. Nec Homerus solus, aut Hesiodus, sed omnes Homerus. Hesiodus. prope poëtae Deum appellarunt patrem. Nec immerito Deus pater vocatus est, in quo est omnis origo nascendi a quo, ut ait apostolus, omnis paternitas in caelo et in terra nominatur. Nihil ergo novum in Deo Christiani ponimus, si patrem dicimus Deum.

Quod si pater est Deus, profecto necesse est etiam esse filium Dei, nec enim dicitur pater absque filio, neque filius absque patre. Quis ergo erit iste filius? Non profecto ex mutabili natura, aut accidentali adoptione, sed ex natura immutabili et ex substantia patris filius eius qui secundum naturam est pater. Quem nos dicimus verbum Dei, quasi in arcano divinae mentis genitum atque formatum, non autem Palladem, sive Minervam, ex Dei cerebro natam. Quid enim sibi vult apud veteres Pallas illa ex cerebro Iovis genita mille et quingentis annis etiam ante adventum Christi salvatoris a gentibus decantata, quam natam dixerunt ex Iovis capite sine coniuge, sine adultera, velut legitimam perfectamque sapientiam Dei, genitam ex Deo et Deam de Deo? Quae etiam a M. Tullio in li- M. Tullius. bro de natura deorum, ut omittamus poëtas, sapientiae Dea, et artium omnium inventrix est appellata, cui ab Romanis in Capitolio penes Iovem patrem cella dicata est. Nos hanc ipsam sapientiam genitam ex Deo, et arcem, ut inquit Augustinus, omnipo- Augustinus. tentis Dei, et sapientis Dei, plenam omnium rationum viventium

incommutabilium, Deum filium dicimus et verbum, quod ipsa divina mens intra se concipit, eiusdem essentiae cum patre, filium inquam, qui quum sit splendor, ut ait Paulus, gloriae, et figura substantiae eius, portansque omnia verbo virtutis suae, sedet ad dexteram maiestatis eius in excelsis. Illi natam ex cerebro Dei sapientiam faciunt, nos carnalia verba fugientes, de substantia Dei Patris Filium genitum affirmamus. Illi cellam penes patrem Iovem in Capitolio collocant; nos ad dexteram virtutis Dei statuimus filium sapientiam Dei.

Paulus

Quid Venus illa delapsa in terram ex Iovis gremio, mater amoris, consors ignis? quae, ut ait Lucretius,

Lucretius

caeli subter labentia signa,
quae mare navigerum, quae terras frugiferenteis

suo quasi afflatu cuncta subintrat, unde et Venerem Latini antiquiores eam nominavere, quia in omnia venit, ut refert idem Cicero. Quid autem aliud omnia subintrat, et penetrat, et in omnia venit, nisi Spiritus sanctus? qui est amor et gratia, et donum Dei. Nec enim est vere Pater et Filius, ubi non est amor. Sed vetus gentilitas, dum, ut dicitur, videns non videt, et audiens non intelligit, sensualibus blandimentis veritatem divinam semper immiscuit, et diis suis nomina, et mores hominum attribuens, in tenebris et errore versata est. Nos ista portenta vocabulorum, et fabularum turpitudines fugimus, et quanto simplicius possumus humanae infirmitatis vocabula divinis aptamus. Circa idem purius loquimur, et castius cogitamus. Patrem Filium sive verbum, et Spiritum in Deo nominamus, et non ex evangelii luce, sed docente propheta. verbo Domini, hoc est Patris, firmatos caelos credimus, et Spiritu oris eius omnem virtutem caelorum. Sed omittamus figmenta poetarum. Nonne pythagorici, et platonici Deum primum patrem dixere? Nam et Plotinus et Numenius tria ex Platone colligunt ὑπέρχρονα ϗ ἀΐδια. hoc est supra tempus et sempiterna, bonum, intelligentiam, et mundi totius animam: quem nos patrem dicimus, bonum nominant: quem nos Flium, intellectum: mundi vero totius animam, illam vivificam et animantem vim, quam nos dicimus Spiritum sanctum. Sed et Anaxagoras intellectum illum omnia segregantem posuit, qui est verbum, quod erat in principio apud Deum, et erat Deus, per quem omnia facta sunt. Praeterea Mercurium illum Trismegistum, qui mille quingentis an-

Cicero

Plotinus
Numenius
Plato

Anaxagoras

Mercurius Trismeg.

nis et amplius fertur Christi salvatoris tempora praecessisse, ex cuius dictis sensa Trinitatis colliguntur. Una, ut diximus, ubique veritas est, quae radios suae lucis emittit, et alibi exilius, alibi plenius excipitur, non quia ipsa in se augeatur, aut minuatur, quae semper una et immutabilis est, sed quia nullo sui detrimento crassiore aëre intermedio crassius prodit, atque lux haec ipsa certissimae veritatis in mentes nostras nullo puriore et lucidiore transcursu, quam per evangelium Christi penetrat; eo disserente, qui verissime dixit: ego sum veritas. Fuit enim Christus veritas, quia Deus: et testimonium perhibuit veritati, quia homo supra naturam hominis vere factus homo est.

CAPUT V.

In quo Latini cum Graecis de sanctissimo Trinitatis mysterio sentiant, et in quo dissentire ab illis videantur.

Latini igitur cum Graecis circa hoc ineffabile sacratissimumque mysterium recte ex doctrina evangelica sentientes, in eo dumtaxat et inter se et a Latinis Graeci dissidere videntur, quod Spiritum sanctum a Patre solo procedere plurimi ex Graecis dicunt; Latini vero non tantum a Patre sed etiam a Filio. Graeci tamen omnes Spiritum sanctum procedere a Patre per Filium non negant, et esse Filii sicut et Patris. Nam apostolus Paulus vocat Spiritum Filii: et veritas in evangelio, Spiritum veritatis: atque ob id Spiritum sanctum esse Filii, et esse a Filio non recusant, sed procedere a Filio nullo pacto consentiunt. Hanc occasionem dissensionis, hoc fomentum discordiae suggerente diabolo, magis in dies excitatum post florentinam synodum incredibilis auxit protervitas, et studium contradicendi potius quam exquirendae veritatis: et in tantum caecitatis adducti sunt graeci homines (eos dico qui hunc fomitem schismatis nutriunt) ut se ipsos primum contumelia et ignominia suae spontis afficiant, dum se ab ecclesia universali separant, et catholicos se nuncupari nolunt. Paulus

Videamus igitur unde haec controversia nascatur; quid ex evangelio, ex apostolis, ex sacris scriptoribus secum utrimque habeant; et quum multi ex Graecis recentioribus in diversam par-

tem sentientes multa conscripserint, illud demum considerare conabimur, quo pacto solvenda, aut concilianda quaestio sit. Itaque mecum, viri graeci ac latini, per Christi fidem, quam utrique sequimur, Deum implorate, et omnibus votis exposcite, ut in ore meo sit veritas, et in cordibus vestris, abdicata omni opinionis ambitione, fidei simplicitas.

CAPUT VI.

De nominibus personarum sanctissimae Trinitatis ex graecis auctoribus, et quod Pater et Filius sunt unum principium Spiritus sancti.

Primum igitur, ipsa de qua loquimur Trinitate bene iuvante, tria haec nomina, quae in unitate divinae essentiae tres personas explicant, consideremus. Sic enim deinceps elucidabimus facilius omnem quaestionem, cur in Deo nomen Patris, cur Filii, cur Spiritus sancti in sacra scientia ponitur: cur hae potissimum dictiones ad tantum mysterium explicandum adductae sunt.

Occurrunt mihi hoc loco, et simul cogitanti ac scribenti sese ingerunt, quam plurima a latinis auctoribus, praesertim ab Ambrosio, Hieronymo, Hilario, Augustino magnis romanae ecclesiae luminibus variis in locis dicta praeclare, quae profecto non auctoritates sanctorum, sed voces angelorum dicere possumus: sed contra graecam suasionem, ne dicam pertinaciam, graecae doctrinae armis obviam ire praestat. Ac meo quidem iudicio si Graecia olim ceteras gentes non solum poëtis, oratoribus, et philosophis, sed omni prorsus genere doctrinarum excelluit, profecto in hac ipsa theologia, quam sequimur, et in sacris litteris, graeci theologi non inferiorem palmam adepti sunt. Hos igitur sequamur, hos citemus, hos graecae pertinaciae vindices statuamus. Quid igitur sibi velint in divinis haec nomina Pater, Filius, Spiritus sanctus, primum si lubet, a Clemente stromateo, alexandrino praesbytero, graeco auctore, discamus, quo facilius cetera pertractemus. Is et inter antiquos praecipuus, et quasi secundae post apostolos auctoritatis visus, eo quod priscis temporibus fluctuante, et vix suis pedibus in sua illa quasi infantia consistente collectione Christianorum, confirmasse illam labentem, et auxisse legitur; quem Ale-

Clemens alex.

Alexander

xander Hierosolymorum antistes ad Antiochenos scribens mire commendat; quem etiam beatus Hieronymus summa cum laude inter ecclesiasticos scriptores adnumerat, et temporibus Severi et Antonini eius filii floruisse testatur. Dictus autem a Graecis stromateus est, quia inter cetera eius multa volumina, librum στρωμάτων, idest varietatum, edidit.

Is ergo velut definitiones quasdam theologiam aggredi volentibus collegit maxime commodas de Patris nomine primo sic disserens. Τί πατὴρ, καὶ διὰ τί εἴρηται πατὴρ, καὶ ὁσαχῶς ἐπὶ θεοῦ ἡ πατρότης; πατὴρ μὲν οὖν κυρίως εἴρηται ἀναίτιος· ὑπόστασις γεννητικὴ ἀγέννητος. Εἴρηται δὲ πατὴρ ἢ ὡς τὰ πάντα τηρῶν, ἢ ὡς τοὺς οἰκείους παῖδας τηρῶν· οἷον παιτὴρ ἢ παντὴρ· διπλῶς δὲ λέγεται πατὴρ ὁ Θεὸς, φύσει καὶ χάριτι· φύσει μὲν τοῦ ἰδίου καὶ ὁμοουσίου Θεοῦ λόγου· χάριτι δὲ ἡμῶν· ὡς τὸ, ἐγὼ εἶπα Θεοὶ ἐστὲ, καὶ υἱοὶ ὑψίστου πάντες. Id est, *quid pater, et propter quid pater dicitur, et quibus modis in Deo est paternitas? Pater igitur proprie dicitur hypostasis non habens originem, genitrix, ingenita. Dictus est autem pater quasi* πάντα τηρῶν, *hoc est omnia construens, sive quasi proprios filios construens, velut* παιτὴρ ἢ παντὴρ, *hoc est filios servans, vel omnia servans. Bifariam vero Deus dicitur pater, natura et gratia: natura quidem proprii et consubstantialis Dei verbi pater: gratia autem; noster pater; iuxta illud, ego dixi dii estis, et filii excelsi omnes.* De Filio vero cur in Deo dicatur, et quibus modis, sic respondet. Υἱὸς μὲν κυρίως ἐστὶ δευτερότης ὑποστάσεως ἐν ταυτότητι φύσεως, ἢ αὔξησις προσώπων ὁμογενὴς, ἢ πρόοδος φύσεως, ἢ συγγένεια γνωριζομένη· υἱὸς δὲ κυρίως εἴρηται οἷος ἂν εἴποις· οἷος γὰρ ὁ πατὴρ τὴν οὐσίαν, τοιοῦτος καὶ ὁ μονογενὴς υἱός· εἴτε ἐξ ἀκτίστου ἄκτιστος, εἴτε ἐκ θνητοῦ θνητὸς, καὶ βροτοῦ βροτός· κατὰ δὲ δύο τρόπους πάλιν εἴρηται ἐπὶ Θεοῦ ἡ υἱότης, φύσει καὶ χάριτι· φύσει, ὁ Θεὸς λόγος· χάριτι, οἱ δίκαιοι. Id est *filius secundus gradus hypostaseos in identitate naturae, sive auctio personarum eiusdem generis, sive proventus naturae, sive cognatio cognita.* Υἱὸς *autem, idest filius, proprie dicitur, ac si diceres* οἷος, *idest qualis. Qualis enim pater secundum substantiam est, talis est etiam unigenitus Filius, sive ex increato increatus, sive ex mortali mortalis, sive ex corruptibili corruptibilis. Duobus item modis dicitur in Deo filiatio, per naturam et gratiam; per naturam Filius, Deus verbum; per gratiam, iusti.* De Spiritu sancto autem quid, et propter quid et quomodo dicatur in divinis, sic refert. Πνεῦμα μὲν ἐστὶ λεπτὴ, καὶ ἄϋλος, καὶ ἀσχημάτιστος ἐκπορευτικὴ ὕπαρξις· πνεῦμα δὲ εἴρηται ὡσανεὶ πᾶν νεῦμα, διὰ τὸ πνεῦμα ὀξέως

πάντη νεύον ϗ κινούμενον εἶναι· εἴρηται δὲ τὸ πνεῦμα ἐν τῇ γραφῇ τετραχῶς, πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὁ ἄγγελος, ἡ ψυχὴ, ϗ ὁ ἄνεμος· ἔστιν ὅτε ϗ ὁ νοῦς εἴρηται πνεῦμα. Idest *spiritus est tenuis quaedam et immaterialis et infigurabilis processiva subsistentia. Dicitur autem* πνεῦμα, *idest spiritus quasi* πᾶν νεῦμα, *hoc est, omnis nutus, quia velut nutus quidam est, subito ubique innuens, et motum. Dicitur autem in scripturis spiritus quadrupliciter, Spiritus sanctus, spiritus angelus, spiritus anima, spiritus ventus: quandoque et mens dicitur spiritus.*

Hae sunt interpretationes et etymologiae graecae diligentiae, quae licet ambitiosae ac litteratoriae quibusdam fortasse videri possint, non tamen alienae sunt a theologica veritate, ex quibus multa ad rem propositam pertinentia suis locis inferemus. Nunc id tantum videamus, numquid ex his definitionibus, Spiritus sanctus a Filio etiam procedere dicendus sit. Et profecto ex hac ipsa definitione Spiritus, latina de eius processione interpretatio maxime comprobata est. Spiritus sanctus enim verissime nutus Dei est, qui solo nutu dilexit Filium aeterno illo et suavi munere dilectionis, quod effundit in nobis abunde per Iesum Christum salvatorem nostrum. Hic ipse nutus est largitatis et gratiae, quem etiam Iovi tribuit antiqua gentilitas, ut apud Homerum est, ὅ κεν κεφαλῇ κατανεύσω, idest, *quod capite annuero*. Nutus ergo Dei nutum dicimus esse Patris et Filii, quia qui dedit potestatem Filio, illi etiam dedit ut ab eo procedat nutus potestatis. Nutu vero hoc momentaneo ac subito munere creavit Deus omnem visibilem et invisibilem creaturam, quod initio sacrae scripturae testatur. Dixit enim et facta sunt, et dum diceret et fierent, Spiritus domini ferebatur super aquas, quia nutus Dei Spiritus Dei, amor Dei, donum Dei, quae sunt in divina essentia: complexus ille suavissimus Patris et Filii subtilis est et immaterialis, processiva subsitsentia, quae etiam ubique penetrat et replet orbem terrarum. Nutum hunc, o Graeci fratres, quem nos Latini vobiscum dicimus esse Spiritum sanctum a Patre, et a sapientia Patris procedere, Latini asserimus non tamquam a duobus principiis sed ab uno: de quo principio ad Filium loquens David in psalmo dixit: *tecum principium in die virtutis tuae*: in quo principio erat verbum, quod verbum erat apud Deum, quia Pater et Filius uno productionis principio producunt Spiritum sanctum. Licet enim in Patre sit omnis ratio originis et auctoritatis, qui tamen dat Filio ut sit Filius, dat etiam illi ut ab eo procedat Spi-

Homerus

Genesis

ritus sanctus. Hinc Graeci nunc Latinis imputant, quia Spiritum Patris et Spiritum eundem Filii dicunt a Patre Filioque procedere, quasi absurdum et impium sit credere nutum Dei procedere a potentia et a sapientia Dei. Et profecto quod Latinis imputant, necesse est imputent Athanasio, Basilio, Nazianzeno, Nysseno, Cyrillo, Chrysostomo, et aliis graecis doctoribus viris doctissimis et sanctissimis, quos idem cum catholica ecclesia sentire certissimum est.

CAPUT VII.

Communia quaedam de sanctissima Trinitate tam Graecis quam Latinis proponuntur, ut inde possit colligi solam esse in verbis, non in re dissensionem.

Sed iam ingrediamur pariter Graeci et Latini illam de qua diximus caritatis viam, ut dum de Spiritus sancti processione loquimur, diffundatur ipse sanctus Spiritus, vera caritas, vera pax, verum gaudium, verum donum divinae bonitatis in cordibus nostris, per Iesum Christum Filium Dei, ut profligata mentis pertinacia et contentione verborum, idem in eodem Spiritu et sentiamus et sapiamus. Confitemur igitur omnes simul et certo fidei ac veritatis oraculo concedimus Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum unius esse substantiae, sive essentiae, et aequalitate inseparabili unum Deum, ut sit unitas in essentia, sed in personis pluralitas, et ideo non tres deos dicimus, sed unum a Patre dicimus generari Filium: et ideo Filium non esse eum, qui est Pater, licet sit id quod est Pater. Spiritum sanctum nec Patrem esse, nec Filium, sed tamen Patris et Filii Spiritum, utrique coaequalem. Tenemus ergo sine ulla controversia Graeci et Latini Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum esse unum naturaliter Deum, unam trium personarum essentiam, quam Graeci ὁμοούσιον dicunt, idest eiusdem substantiae, quia in ea natura, et essentialiter non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus; licet personaliter alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus.

Hoc velut in albo praetoris ponimus Latinis et Graecis, in quo nullus nodus est, nulla controversia, nulla dissensio. Hic est primus viae caritatis ingressus: hic parumper sistamus pedem, et tanti mysterii lumen in tranquillitate consideremus. Sed primum quid

Latini in exprimenda tanti luce mysterii attulerint, videamus, et ex diversis auctoribus, Augustino praesertim, admirabili profecto evangelicae veritatis interprete, qui etiam copiosius quam ceteri de Trinitate disseruit, pauca brevibus colligamus, ut quum graecos anctores, quos habemus in manibus, et magnos et plurimos postea citabimus, facile animadvertere possimus, sicut una est veritas, ita unam esse Latinorum et Graecorum in sola vocabulorum dissensione sententiam.

CAPUT VIII.

De humana erga Deum cognitione, deque vestigio sanctissimae Trinitatis in rebus creatis.

Deus itaque a re creata cognoscitur, per ea quae ab ipso Deo facta sunt: ex naturali tamen humanae cognitionis conditione, quia Psal. caeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annuntiat firmamentum, ab effectis enim rebus in causas fertur humana cognitio et ex diversis demum rationibus concludit, ut sit una quaedam simplex essentia, quae ex uulla partium vel accidentium diversitate consistit, quae Deus est, qui ex perpetua creatarum rerum successione conditor aeternus, ex earum magnitudine omnipotens, ex ordine et dispositione sapiens, ex gubernatione bonus esse deprehenditur. In rebus namque creatis vestigium Dei summi, hoc est sanctae Trinitatis ostenditur, quod sic fere deducit Augustinus. Habent res omnes unitatem, speciem, et ordinem. Unitas Patri attribuitur, in quo uno sunt omnia, etiam ipse Filius et Spiritus sanctus. Species Filio accommodatur, qui est pulchritudo, et splendor gloriae, et figura substantiae Patris, portans omnia verbo virtutis suae, veritas et sapientia Patris. Ordo Spiritui sancto assignatur, cui bonitas et suavitas amoris est attributa, miro ordine a Patre per Filium in divina natura consistens, distributa est in creaturas, quae bonitas est amor et donum Patris et Filii. Ex consideratione itaque creaturarum unius substantiae Trinitatem coniectamur: unum scilicet Deum Patrem, a quo sumus, Filium per quem sumus, Spiritum sanctum in quo sumus: principium ad quod recurrimus, formam qnam sequimur, gratiam qua reconciliamur.

CAPUT IX.

De proprietatibus divinarum personarum ex Hilario et Augustino.

Ceterum ex latinis auctoribus Hilarius pictaviensis antistes ex persecutione arriana relegatus in Phrygiam, ante Ambrosium, Hieronymum, atque Augustinum de Trinitatis mysterio diligentissime disseruit, et tres proprietates in tribus personis consideravit, ac brevibus verbis expressit. Aeternitas, inquit, in Patre est, species in imagine, usus in munere. Primam personam suo nomine appellat Patrem, Filium dicit imaginem, Spiritum sanctum munus nominat. Patri aeternitatem, imagini speciem sive decorem, muneri usum applicat. Quae verba velut obscurioris intelligentiae sanctus Augustinus in sexto volumine de Trinitate summa cum veneratione interpretatus est, et nihil se aliud consequi posse in hac dictione aeternitatis arbitratur, nisi quia Pater non habet Patrem, de quo sit, sed Filius habet de Patre ut sit, atque ut sit illi coaeternus. " Imago enim inquit, si perfecte implet illud, cuius est imago, ipsa coaequatur ei, non illud imagini suae, in qua imagine speciem nominavit; credo propter pulchritudinem, ubi est tanta congruentia, et prima aequalitas, et prima similitudo nulla in re dissidens, et nullo modo inaequalis, et nulla ex parte dissimilis, sed ad identitatem respondens ei, cuius est imago, ubi est prima et summa vita. Cui non est aliud vivere, et aliud esse, sed idem esse et vivere: ubi et primus et summus intellectus, cui non est aliud vivere, et aliud intelligere, sed quod est intelligere, hoc est vivere: et esse omnia unum tanquam verbum perfectum, cui non desit aliquid, et ars quaedam omnipotentis Dei et sapientis Dei, plena omnium rationum viventium incommutabilium, et omnes unum in ea, sicut ipsa unum de uno, cum quo unum ibi novit omnia Deus quae fecit per ipsam. Est autem ineffabilis quidam complexus Patris et imaginis, qui non est sine perfruitione, idest sine caritate, sine gaudio. Illa erga dilectio, delectatio, felicitas vel beatitudo (si tamen aliqua humana voce digne dicitur) usus ab illo appellata est breviter. Et est in Trinitate Spiritus sanctus non genitus neque ingenitus, sed genitoris genitique suavitas, ingen-

Hilarius

Augustinus

ti largitate atque ubertate perfundens omnes creaturas pro captu earum. Itaque illa tria et a se invicem determinari videntur, et in se infinita sunt.„ Huc usque Augustinus dum in exponendis verbis Hilarii totus incumbit, et se quoque in exponendo sensu tanti mysterii expositore indigere animadvertit, subdens ait: “ qui videt hoc vel ex parte, vel per speculum in aenigmatae, gaudeat cognoscens Deum, et gratias agat: qui vero non videt, tendat per pietatem ad videndum, non per caecitatem ad calumniandum „.

CAPUT X.

De Trinitatis imagine ex Augustino praecipue, ibique ipsius Augustini multae laudes afferuntur.

Sed altius (dicet aliquis) quam oportet ista disquiris de processione Spiritus sancti dum disseris: satis est quae ad Spiritus sancti personam pertinent pertractare. At vero in magnae molis aedificio altis opus est fundamentis, quae si fideliter iacta fuerint, quae superstruxerimus inconcussa perstabunt, ideoque diuturnior et diligentior Trinitatis consideratio, in quacumque afferatur Trinitatis imagine, ad quaestionem propositam plurimum refert: tunc enim unde et quomodo procedat in divina essentia sanctus Spiritus commodius coniectabimur, si nostris cogitationibus semper immiscebimus dicta sanctorum.

Nemo profecto graecus etiam doctissimus legens Augustinum fiet indoctior, quem dicere audeo in exquirendo Trinitatis mysterio superasse vires humanae facultatis. Nemo mihi dicet virum sanctissimum in ea re fuisse aut curiosum aut supervacuae diligentiae: fuit procul dubio vir naturali ingenio praestans, sed plenus Spiritus sancto, atque ideo ex evangelicae atque apostolicae et propheticae doctrinae principiis pleraque naturalibus rationibus coniectatus est. Animadvertit Trinitatis imaginem in rebus creatis plurimis posse conspici, id quod et fecerunt graeci theologi, et quidem recte. Nam ipsa in primis mundi moles universa tribus dimensionibus terminata, referre etiam nonnullis asseritur imaginem Trinitatis, quo etiam numero, auctore Aristotele, summo philosopho, libro primo de caelo et mundo, ad sanctificationes deorum usos veteres constat. Graeci etiam theologi Trinitatem ex rebus crea-

Aristoteles

tis coniectati sunt, solis, ignis, hominis, temporis, animae, radicis, germinis, floris, fontis, fluvii, dexterae, brachii, digiti, et alia eiusmodi exempla protulerunt. Formare enim sibi consuevit cogitatio speciem sensibilem, etiam quum supra sensum se attollere vult. Sed Augustinus in hac pia audacia mirabiliter felix, omnia quaecumque affert ex fundamentis sacrae scripturae coniectans, in sola imagine humanae creaturae praecipue versatur dum considerat ex ore Trinitatis atque ex locutione numeri pertinentis ad Trinitatem hominem in primis ad imaginem Dei creatum. Faciamus, inquit Trinitas, hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Tritus hic profecto et iam in vulgus exceptus sermo est, sed totum procul dubio prae se fert mysterium Trinitatis, ut qui in aenigmate et per speculum hoc est in imagine videre vult Deum (nec enim aliter mortalibus fas est) non aliunde id possit promptius, quam ex natura hominis contemplari, quem ipsa Trinitas ad suam imaginem factum esse testatur. Boni ergo consulat graeca natio, si Augustinus natione quidem africanus, et doctrina italus sed ingenio et moribus civis caelestis patriae, in hac ipsa imagine exprimenda, simul ex ingenio et ex christiana pietate acutissime et diligentissime versatus est: neque vero solum boni consulat, sed cum latinis et christianis omnibus gratias agat Deo, qui ad instruendos in fide animos nostros per Spiritum sanctum nobis ex tanti viri ore locutus sit. Augustinus

In mente igitur nostra praecipue relucet ipsa Trinitatis imago: sed quonam pacto, audiamus Augustinum. Mens, inquit, sui meminit, intelligit se, diligit se. Hoc si cernimus, cernimus Trinitatem, nondum quidem Deum, sed imaginem Dei: haec enim tria in nobis potissimum apparent, memoria, intelligentia, voluntas, quasi mens non tres mentes: haec enim tria unum sunt in essentia, plura vero, prout ad invicem referuntur. Concludit tamen, in mente nostra ita esse Trinitatis imaginem, ut eam hebetem, exiguam, et qualemcumque putemus, quae summae Trinitatis ita gerit similitudinem, ut sit ei ex maxima parte dissimilis: sed licet sit dissimilis, quia non est mens nostra eius naturae cuius est Deus, non ob id culpari debet sanctissimi et doctissimi viri tam felicis inventus audacia, quia, ut ipsemet dixerat, imago illius, quo nihil est melius, in eo exquirenda et invenienda est, quo nostra natura nihil habet melius, hoc autem est mens nostra. Accipitur autem hoc Augustinus

loco mens ab Augustino non pro ipsa anima, sed pro eo quod in anima excellentissimum et perfectissimum est: quod sane mentis vocabulum graecae linguae ubertas non habet, latinae paupertas habet. Νοῦς apud Graecos est ἀπὸ τοῦ νοῶ, non autem ἀπὸ τοῦ μίμνημι.
Psal. Sed divites etiam qnandoque indiguerunt et esnrierunt, inquirentes autem dominnm non deficient omni bono. De hac ipsa
Rufinus ratione indagandae Trinitatis Rufinus magna cnm praefatione disserit in expositione symboli. Licet enim in profnndo arcani huius mysterii curiositatem et nimiam diligentiam damnare videatur, se tamen ad fideles simnl et eruditos volvens, ait: si putas in hoc omni genere indagationis utendum, prins tibi propone quae nostra sunt, quae si conseqnenter valueris expedire, tunc a terrestribus ad caelestia, a visibilibus ad invisibilia properato. Expedi primo, si potes, quo modo mens, quae intra te est, generet verbum, et quid sit in ea memoriae spiritns: qnomodo quum diversa sint rebus et actibus, unnm tamen sint vel substantia vel natura; et qunm ex mente procedant, numquam tamen ab ipsa separentur.

Augustinus Sed redeamus ad Augnstinum, qui circa hoc mentis divinae vestigium quod in nobis apparet, adhnc diligentius inquirit, et particularius singula singulis refert. Quae Petrns Lombardus parisiensis episcopus vir doctissimus et diligentissimus brevissime ex eodem Augustino collegit libro primo sententiarum. Mens, inquit, et notitia eius, et amor eius, tria quaedam sunt. Mens enim novit se, amat se, nec amare se potest nisi etiam noverit se. Duo quaedam sunt, mens et notitia eius. Item duo quaedam sunt, mens et amor eius. Quum ergo se novit mens, et amat se, manet Trinitas: hoc est mens, amor, et notitia. Mens autem hoc loco, ut diximus, accipitur pro eo, quod est animal excellentissimum et perfectissimum. Haec autem tria qnum sint distincta ab invicem, dicuntur tamen esse unum, quia in anima substantialiter existunt. Mens vice Patris, notitia Filii, amor Spiritus sancti accipitur, et est mens ipsa quasi parens, et notitia eius quasi proles eius: mens enim quum se cognoscit, notitiam sui gignit, et est sola parens suae notitiae. Tertius est amor, qui de ipsa mente et notitia procedit, dum mens cognoscens se, diligit se: non enim posset se diligere, nisi cognosceret se: amat etiam placitam prolem, idest notitiam suam, et ita amor quidam complexns est parentis et prolis, nec est minor mente notitia, nec amor utroque, hoc est

Petrus Lomb.

notitia et mente, quia non est minor proles parente, dum tantam se novit quanta mens est: nec minor est amor parente et prole, id est mente et notitia, dum tantum se diligit mens, quantum se novit, et quanta est. Sunt etiam haec singula in se ipsis, quia mens amans in amore est, et in amantis notitia, et notitia ipsa in mente noscente.

CAPUT XI.

Admonitio ut Augustini sensa pensentur: ibique de iis quae dicuntur attribui divinis personis.

Rogo vos atque obsecro, viri graeci, per caput illud nostrum D. Iesum Christum, in quo sumus invicem membra, per viscera misericordiae, et caritatis Spiritus sancti, ex homine ad imaginem Dei creato Deum inspiciamus. Non est hic ex dictis patris Augustini laqueus syllogisticus, quem se formidare inquiunt nescio quidam ex vestris simpliciores homines; non est laqueus, sed discursus mentis angelicae, ex ipsa Dei imagine se se extendens, et attollens oculos suae infirmitatis ad contemplationem sui creatoris, ex qua per speculum et in aenigmate Trinitatem in unitate, et unitatem in Trinitate considerat, et se intelligere animadvertit, unum esse Deum, unam essentiam, unum principium: ideo unum, quia si plura essent principia, ut puta duo, vel utrumque insufficiens esset, vel alterum superflueret; quia si aliquid deesset uni, quod alterum haberet, non esset ibi summa perfectio: si vero nihil uni deesset quod haberet alterum (quum in uno essent omnia) alterum procul dubio superflueret. Intelligit ergo unum esse Deum omnium auctorem. Sed hunc sine sapientia intelligere non potuit: quo enim pacto esse potest tanta rerum dispositio, tantus ordo, tanta providentia, siue sapientia? Sensim ergo ex naturali cognitione, ubi intelligitur esse sapientia in Deo, non haec humana quae a rebus cognitis praecedente sensu in nobis gignitur, sed sapientia aeterna quae non a rebus cognitis, sed ab ipso Deo ingenita est, et est causa rerum omnium creatarum et cognitarum: quae sapientia in evangelio et scripturis sanctis vocatur Filius, quae ante quam quicquam Deus faceret, a principio ab aeterno erat ordinata, et cum Deo erat cuncta componens.

Et quia sapientiam suam Deus diligit, necesse est ut ibi etiam esse amorem intelligamus, aequalem et non alterius naturae quam sit sapientia, qui non a rebus amatis gignitur, sed est amor increatus et aeternus, principium et causa omnium quae vero amantur amore, in quantum amantur et diliguntur. Hic igitur amor in Deo, qui nihil aliud substantialiter est, quam ipse Deus, quia nihil in Deo est, quod non sit Deus, hic, inquam, amor est, quem debemus intelligere quasi complexum quendam mentis ingenitae, et notitiae genitae, Patris scilicet et Filii mutuam, qua se invicem diligunt, caritatem: ibi enim necesse est esse amorem, ubi est Pater et Filius. Ex quibus haec est catholicae veritatis vera conclusio, unum esse Deum Patrem, qui solus essentialem de se ipso unum Filium genuit: et unum Filium, qui solus de uno Patre essentialiter genitus est: et unum Spiritum sanctum, qui quum sit amor Patris et Filii, solus essentialiter a Patre Filioque procedit. Hoc autem totum in Deo, licet sit unius essentiae, esse non potest unius personae, hoc est gignere se, nasci de se, procedere de se; sed per relativas oppositiones oportet esse distinctum.

Sed ecce video vos hoc loco, viri graeci, exclamare, turbari, et de hac ipsa via caritatis, quam simul ingressi sumus, velle discedere. Gradum quaeso sistite, affectatam iustitiam effugite: non a Latinis, sed una cum Latinis discite id quod numquam satis discitur, id quod numquam satis cogitatur, in quo praeclarius est ambigua pie inquirere, quam in aliis certa monstrare. Non obturetis igitur aures evangelio: Spiritum sanctum amorem esse Patris et Filii non negetis. Patri rationem principii, auctoritatis, et originis tribuamus: hoc enim refert in divina essentia paternitas: hoc profert Christus in evangelio, qui omnia sibi ut Dei Filio tradita a Deo Patre testatur. Filio sapientiam tribuamus, quia nemo novit Patrem nisi Filius, ut verbum divinae mentis, quod erat in principio apud Deum, verbum Dei, sapientia Dei, quae, ut diximus, cum eo erat cuncta componens. Spiritui sancto amorem et caritatem sive dilectionem assignemus: quia est verum donum Dei et suavissimus ille complexus Patris et Filii, qui et Paracletus dictus est, quasi consolator et gaudium et pax animae: per quem effunditur caritas in cordibus nostris.

Christus in evangelio, saepius de dilectione mentionem faciens, ille vos, inquit, docebit omnia, et suggeret vobis omnia quae-

cumque dixero vobis. De dilectione enim loquebatur, quum dicebat: siqnis diligit me, Pater meus diliget enm. Deus autem Spiritu sancto diligit, et Spiritu sancto diligitur, qnia nulla vera dilectio est nisi in Spiritu sancto. Non aliam ob causam missus legitur Spiritus sanctus in igne, nisi ut ardorem caritatis insinuaret: et specie colnmbae, nisi nt simplicitatem amoris prae se ferret. Nam id animal, et ignem, vetus etiam gentium cultus deorum amori tribuit, quem fecerunt Deum filium Veneris, cui et columbam dicaverunt, et ignem connubio per fabularum deliramenta iunxerunt. Sed ut veteres Lacones apud Graecos ἐμπνεῖν φασὶ τὸ ἐρᾶν, idest, spirare dicunt amare, et Amyclaei lacones amatorem τοῦ εἰσπνήλου, id est inspiratoris, vocabulo quasi eruditiore, nuncupaverunt (ut est apud Theocritum in idylliis amatoriis, et apud Virgilium latinum poëtam); actio amoris, spiratione designatur, et amor inspirari dicitur: a quo etiam gratia venustatis afflari a Venere matre Gratiarum legitur, ubi ait: et laetos oculis afflarat honores. Si ergo Spiritus sanctus verus amor est, vera dilectio, vera caritas, merito voluntati divinae attribuitur, quia amare sive diligere functio voluntatis est: nosse vero et sapere, intellectus. Gratiae quoque a Spiritu sancto esse dicuntur, quia divisiones, inquit Paulus, gratiarum sunt; unus autem Spiritus. Sed Gratias etiam Veneris filias sese complectentes veteres poëtae dixerunt (usque adeo magna vis est veritatis, et non potest falsum sine vero subsistere!) Nos gratias dono et nutu Dei dispensari credimus, qui nutus etiam a vobis Graecis dicitur Spiritus sanctus: πνεῦμα enim, idest Spiritus, quasi νεῦμα, hoc est nutus est, si stromateo Clementi et Iohanni damasceno credimus. Infallibilis igitur illa dilectio, qua Filius in Iohannis evangelio se ab aeterno dilectum esse testatur, caritas est Patris et Filii, non Patris solius, nec Filii solius, sed amborum. Ideo recte dicitur mutuam uobis insinuare caritatem, qua se in divinis invicem diligunt Pater et Filius. Et licet in illa summa simplicique substantia nou sit aliud caritas, aliud essentia, et caritas sive in Patre, sive iu Filio sive in Spiritu sancto, sit substantia, tamen Spiritus sanctus proprie nuncupatur caritas quia caritas specialiter refertur ad personam Spiritus sancti: sicut specialiter sapientia attributa est Filio, licet universaliter Pater etiam et Spiritus sanctus sint ipsa sapientia.

Theocritus Virgilius.

Paulus.

Clemens alex. Ioh. dam.

CAPUT XII.

Quid Latini de Spiritu sancto, et quo pacto a Patre et Filio procedere decernant.

Porro latini patres ex ipsa in primis lectione Iohannis apostoli, qui supra pectus domini nostri Iesu Christi in caena recubuit, pie deducentes tanti sensa mysterii, neque tamen a graecis doctoribus dissidentes, sed latius hac in parte de Spiritu sancto disserentes, caritatem sive dilectionem qua etiam nos ipsi Deum proximumque diligimus, ipsum Deum Spiritum sanctum esse non dubitant, qui tamen in divinis est amor Patris et Filii: licetque in nobis caritas et augeri videatur et minui, vera tamen caritas, quae Deus est, qua suademur etiam inimicos diligere, ipsa semper una permanet atque immutabilis, quae non in se sed in nobis augetur, et minuitur iuxta mensuram nostrae perfectionis et facultatis. Unde ab Augustino super Iohannis epistola dicitur: probet se quisque quantum in se profecerit caritas, vel potius quantum ipse in caritate profecerit. Dum ergo mentibus nostris illabitur Spiritus sanctus, qui est caritas Dei, immo vero caritas, quae a Iohanne apostolo dicitur Deus, omnia in nobis mala mortificat, omnia bona vivificat. Et ideo omnibus virtutibus praediti (teste Paulo doctore gentium) sine caritate, nihil sumus, quia etiam sine Deo nihil sumus, quandoquidem in eo vivimus, movemur, et sumus: sed quicquid in nobis Spiritus sanctus inducit per modum gratiae, id in divinis habet prius et perfectius per modum naturae: quia sicut dicitur Pater natura et gratia, et Filius natura et gratia sive adoptione, ita Spiritus sanctus est donum non solum in nobis per gratiam, sed in divina essentia per naturam: est enim ille suavissimus complexus Patris et Filii, illa mutua communicatio amoris a Patre in Filium, et a Filio in Patrem, quae primà et praecipua est. Ubi est ex una eademque Patris et Filii voluntate verus ille et summus amor, et causa totius amoris, et vera plenitudo dilectionis, haec inquam illa est communicatio sancti Spiritus, quae per apostolum Paulum adeo exposcitur atque imploratur, ut in eo recta sentire et sapere valeamus.

Augustinus

Paulus

Paulus

Quum igitur animadverterent latini patres Spiritum sanctum

in se prius esse donum natura quam gratia, donum in divinis nihil aliud esse dixerunt quam amorem divinum, a quo omnis amor denominatur et trahitur, qui est, ut diximus, amor Patris et Filii: ex amore namque divino, qui primus est, ut ait Dionysius capite quarto de divinis nominibus, amor naturalis, et intellectualis, et animalis, provenit; et hoc est quod in sacra scriptura dicitur, Spiritus Domini replevit orbem terrarum. Namque ut idem Dionysius ait, ὥσπερ ὁ καθ' ἡμᾶς ἥλιος οὐ λογιζόμενος ἢ προαιρούμενος, ἀλλ' αὐτῷ τῷ εἶναι φωτίζει πάντα τὰ μετέχειν τοῦ φωτὸς αὐτοῦ κατὰ τὸν οἰκεῖον δυνάμενα λόγον, οὕτω δὴ καὶ τ' ἀγαθὸν ὑπὲρ ἥλιον ὡσεί περ ἀμυδρὰν εἰκόνα τὸ ἐξῃρημένως ἀρχέτυπον αὐτῇ τῇ ὑπάρξει, πᾶσι τοῖς οὖσιν ἀναλόγως, ἐφίησι τὰς τῆς ὅλης ἀγαθότητος ἀκτῖνας: *sicut sol apud nos neque disserens, neque eligens, sed tantum praesens, omnia illuminat, quae secundum rationem propriae facultatis lumen eius assequi possunt; ita bonum illud, quod non aliter supra solem quam velut archetypum, supra vix apparentem sive obscurius expressam imaginem separate subsistit, in omnia quae sunt sola praesentia radios suae bonitatis pro cuiusque dignitate dimittit.* Sic igitur tam a graecis quam a latinis theologis tenetur hoc pacto in omni creatura esse amorem Dei: et in omni creatura, in quantum est creatura, esse Spiritum sanctum: quia nihil omnino esse in rerum natura potest, quod hoc ipso quod est non sit ex dono et munere divinae bonitatis, et Spiritus sancti, qui velut thesaurus est munerum divinorum: quae tamen nihil aliud sunt, quam ipsa divinitas, et ipse Deus.

Sed longe aliud est, in nobis esse Spiritum sanctum, et a nobis esse Spiritum sanctum: non enim passim ab omni creatura haberi potest Spiritus sanctus, sed solum a creatura rationali, quae per rationem adhaeret Deo, et, ut ait Paulus, unus spiritus fit cum eo: ut non tantum sit in ea Deus, sed etiam habeat Deum. Amorem igitur Dei, quem in omnem creaturam aequaliter diffusum, sed non aequaliter exceptum esse videmus, excellentiore quadam et supra sensum et rationem eminente facultate in Deo esse, nemo est qui ambigat. Quo autem pacto se amet Deus, ineffabile est; sicut etiam est ineffabile, quo pacto se intelligat; et ideo sicut generatio in divinis est ineffabilis, ita et processio. Nam Deus dum cognoscit se, cognoscit omnia: quia ex ipso, in ipsum, et per ipsum sunt omnia. Et cognoscens se ab aeterno, generat notitiam

suam, sicut sapientiam suam, Filium suum, imaginem et characterem paternae virtutis. De qua per Esaiam prophetam scriptum est: generationem eius quis enarrabit? nemo profecto nisi solus Deus, qui solus cognoscit se, et in se cognoscit omnia, cuius cognitio est rerum omnium princeps causa. Eandem deductionem pie facientes in amore divino, per speculum et in aenigmate contemplamur Spiritum sanctum: quia Deus qui cognoscit se, cognoscendo se amat se, et ipsa cognitio causa amoris est; quia non amamus, quod non novimus. Pari ergo ratione dum Deus amat se, amat omnia, quia ipse est omnia in omnibus. Et sicut cognoscendo se, generat notitiam suam; ita amando se, producit amorem suum. Et quia non solum latini theologi sed etiam graeci amorem naturae et non gratiae aliter in Deo intelligere non possunt, quam eum quo Pater diligit Filium, et Filius Patrem, ubi enim est Pater et Filius, ibi necesse est esse amorem utriusque; attributa igitur ratione amoris Spiritui sancto, Spiritum sanctum Patris et Filii amorem esse intellexerunt. Et quia Deus Pater naturaliter amat Deum filium, et Deus Filius naturaliter amat Deum Patrem, ideo Latini apertius hoc proferentes, amorem utriusque ab utroque procedere asseruut. Graeci parcius hoc verbo procedere usi sunt, considerantes principium spirationis in se, non ut Filio communicatum: et ideo licet a Filio procedere Spiritum sanctum rarius expresserint, ipsum tamen et a Filio, et per Filium et Filii proprium esse non negaverunt, sed ubique apertissime affirmaverunt.

Esaias

Quis enim negare audeat eundem amorem esse a Patre et Filio, et Patris et Filii? Quod divus Hieronymus Gregorii nazianzeni dignus tanto praeceptore discipulus, in psalmi ·XIIII· expositione ab eodem praeceptore edoctus, expressit, dicens: Spiritus sanctus, nec Pater est, nec Filius, sed dilectio, quam habet Pater in Filium, et Filius in Patrem. Augustinus vero Hilarium sequens in libro, quem edidit de doctrina christiana, Patri attribuit unitatem, Filio aequalitatem, Spiritui sancto unitatis aequalitatisque concordiam. Consideravit autem sanctus pater per unitatem rationem ipsam principii in Patre, qui quum a nullo sit, a se ipso fons est et origo reliquarum personarum quae a se ipsis non sunt. Illud enim est maxime principium, quod est maxime unum. Aequalitatem vero animadvertit in Filio, cui per generationem communicata est omnis quasi sors et possessio divinitatis, et omnis

Hieronymus

Augustinus

etiam ratio principii, quae personae Filii non repugnat. In Spiritu sancto vero consideravit huius unitatis et aequalitatis concordiam, et quasi utriusque in eadem naturae perfectione concentum atque complexum et dependentiam ab utroque.

CAPUT XIII.

Quod inter antiquos theologos graece scribentes, et latinos, nulla est de Spiritu sancto dissensio.

Sed omittamus latinos theologos, quos non ideo adduximus ut ex his pertinaciam graecae interpretationis impugnare velimus, sed ob id dumtaxat, ut sanctorum patrum cognitiones in sancti Spiritus communicatione, quae Patris et Filii est, ex evangelica veritate procedere ostenderem: atque ut simul vobis Graecis qui vos hac in parte et religiosiores, et Deo acceptiores creditis, quasi sapientioribus et doctoribus, rationem latinae opinionis afferrem: nec enim ego vos instruere aut refellere, sed una vobiscum discere a graecis theologis magnis et doctis et sanctis viris cupio. Videamus, quaeso, et in tranquillitate sancti Spiritus sine contentione consideremus, in divina essentia, quantum infirmitati nostrae convenit, divinarum ordinem personarum. Nam de processione Spiritus sancti quaerere, nihil aliud est, quam de ordine in divinae essentiae personis quaerere, cur tam a Latinis, quam a Graecis Spiritus sanctus tertia in Trinitate persona dicatur? Cur in sacris scripturis Filius, ut est Deus, non dicatur esse Spiritus sanctus? neque etiam a Spiritu sancto, neque missus, neque datus a Spiritu sancto? Sicut e contra Spiritus sanctus dicitur Patris et Filii, et ex Patre et Filio, et datus sive missus ab utroque? Haec enim omnia ordinis et originis sunt, quae procul dubio in Deo per ineffabilem quandam et eminentissimam rationem esse non ambigimus. Profecto non aliam ob causam putandus est Spiritus sanctus Patris et Filii, nisi quia est amor et caritas utriusque. Ordo autem est amoris ad notitiam, sicut voluntatis ad intellectum.

Deum caritatem sive amorem esse, negare non possumus, quem etiam Dionysius areopagita summus theologus summusque philosophus inter divina nomina mirabiliter pensitat, et eminentius excellentiusque in divina natura praeexistere quam in creatis rebus ostendit,

dicens: Καὶ ἔστι καὶ ὁ θεῖος ὅλως ἀγαθὸς ἀγαθοῦ διὰ τὸ ἀγαθόν· αὐτὸς γὰρ ὁ ἀγαθοεργὸς τῶν ὄντων ἔρως ἐν τ' ἀγαθῷ καθ' ὑπορβολὴν προϋπάρχων, οὐκ εἴασεν αὐτὸν ἄγονον ἐν ἑαυτῷ μένειν· ἐκίνησε δὲ αὐτὸν εἰς τὸ πρακτικεύεσθαι κατὰ τὴν πάντων γεννητικὴν ὑπορβολήν. Id est, *divinus amor est bonus boni per bonum. Amor enim ille qui rebus bona conferens est, quique in bono per excellentiam praeexistit, haudquaque in se ipso sterilem esse permisit; excivit autem ipsum in actionem et operam per generativam rerum omnium excellentiam.* Ex his Dionysii verbis supra vires humanae facultatis divinorum mysteriorum arcana panduntur: Pater bonus, Filius bonus, Spiritus sanctus sive amor divinus bonus. Sed boni et per bonum quasi a Patre per Filium. Est tamen amor prius et excellentius in natura diviua, quam sit in rebus creatis: prius igitur donum in se quam respectu creaturae: atque post multa concludit Dionysius, dicens: Ὁ θεῖος ἔρως ἐνδείκνυται διαφερόντως, ὥσπερ τις ἀΐδιος κύκλος διὰ τἀγαθὸν ἐκ τἀγαθοῦ καὶ ἐν τἀγαθῷ, ἐν ἀπλανεῖ συνελίξει περιπορουόμενος, καὶ ἐν ταυτῷ, καὶ κατὰ τὸ αὐτὸ, καὶ προϊὼν καὶ μένων, καὶ ἀποκαθιστάμενος: *divinus*, inquit, *amor excellentiâ ostenditur, velut sempiternus quidam circulus per bonum ex bono et in bono stata et certa conversione circumgradiens et in eodem semper et secundum idem, et procedit, et manet, et restituitur, sive instauratur.* Haec verba profecto magnos et intraneos sensus continent; admirabilem enim divinae providentiae ordinem exprimunt, et in amore divino processionem sempiternam et temporalem ostendunt: procedit enim a divina essentia, et manet in divina essentia, circumgreditur vero et restituitur ex creatura; quia temporalis ipsa processio, quae pervenit in creaturam, in Deum revertitur tamquam finem simul et principium, quia Deus et principium et finis est.

Numerus ergo personarum sine consideratione ordinis esse non potest: et licet in illa summa et ineffabili essentia numerus aliter quam in creatis rebus accipi debeat; quia melius fortasse dicitur, Pater unus, Filius unus, Spiritus sanctus unus, quam Pater, Filius, Spiritus, tres: nihilominus recte etiam tres personae dicuntur. Quarum licet nulla sit prior, aut posterior altera, secundum tempus aut secundum naturam, intelligitur tamen ibi esse ordo hypostaticus et personalis: qui est ordo auctoritatis et originis, qui non designat substantiam sive essentiam, sed potius essentiae modum, qui imperfecte exprimitur verbis humanae fragilitatis, sine quo Trinitas personarum considerari nullo pacto potest. Sed in evangelio ex-

primitur Trinitas numero, hi tres unum sunt. Ordo autem ostenditur verbis Christi Spiritum sanctum tertio loco proferentis: ite, inquit, baptizate eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Cur tertio loco? non aliam ob causam, nisi quia Patris et Filii est, et a Patre et a Filio, et missus et datus ab utroque. Ipsa in primis nomina ordinem prae se ferunt Pater Filii Pater, Filius Patris Filius, Spiritus sanctus Patris et Filii. Pater vero et Filius non proprie Spiritus sancti Pater aut Filius. Unde sanctus vir Epiphanius ἐν τῷ ἀγκυρωτῷ sic ait: τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς ϗ υἱοῦ τρίτον τῇ ὀνομασίᾳ: idest *Spiritus sanctus ex Patre et Filio nominatione tertius.* Et paulo post: τὸ πνεῦμα δὲ τὸ ἅγιον πνεῦμα τῆς ἀληθείας, φῶς τρίτον παρὰ τοῦ πατρὸς ϗ υἱοῦ: id est *Spiritus sanctus Spiritus veritatis, lumen tertium a Patre et Filio* Tertium, inquit, lumen non tria intelligens lumina, sed quia Spiritus sanctus lumen de lumine, tertio post Filium loco, dicitur. Obtestor vos, Graeci fratres, per fidem Christi, per hoc ipsum de quo loquimur Spiritus sancti mysterium, audite vestros auctores. Basilius merito magnus (fuit enim et doctrinae et sanctitatis eximiae) libro tertio τῶν ἀντιῤῥητικῶν de Spiritu sancto loquens ait: ἀξιώματι μὲν γὰρ δευτερεύει τοῦ υἱοῦ, id est, *dignitate namque secundo loco post Filium* Haec autem dignitas quid tandem aliud est quam ordo personalis? Epiphanius Basilius

Gregorius nyssenus alterum theologiae sidus, eiusdem Basilii frater, primo capite contra Eunomium in fine: ὡς γὰρ συνάπτεται τῷ πατρὶ ὁ υἱὸς, ϗ τὸ ἐξ αὐτοῦ εἶναι ἔχων, οὐχ ὑστερίζει κατὰ τὴν ὕπαρξιν, οὕτω πάλιν ϗ τοῦ μονογενοῦς ἔχεται τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἐπινοίᾳ μόνῃ κατὰ τὸν τῆς αἰτίας λόγον προθεωρουμένου τοῦ πνεύματος ὑποστάσεως: idest *sicut enim coaptatur Patri Filius, et ab ipso habens esse, non est secundum substantiam inferior, sic iterum ad ipsius Patris unigenitum se habet Spiritus sanctus, prae intellectu sola consideratione per causae rationem personae Spiritus sancti.* Ecce duo fratres, duo lumina orientalis ecclesiae, de Spiritu sancto disserentes, aperte proferunt, cur Spiritus sancti hypostasis tertio loco posita nominetur. Quo pacto enim per causae rationem praeintelligitur Filius Spiritui sancto, nisi quia anteit Spiritum sanctum dignitate, et ordine personalis substantiae, non autem perfectionis naturae sive substantiae? Haec autem apud Graecos est relatio causae, quam Latini, parcius loquentes originem interpretantur. Subit hoc loco, Graeci fratres, calamitatis vestrae naufragia deplorare. Quondam ex eadem familia, sub eadem Gregorius nyss.

domo, ex iisdem parentibus, in Graecia duo eiusmodi doctrinae germina prodierunt, nunc in universa Graecia, quis est qui eos possit legere, ne dicam intelligere? Utinam essent qui et hos et alios quam plurimos audire possent! Non vigeret ulterius inter orientis et occidentis ecclesias ista dissensio. Sed redeamus unde discessimus.

Gregorius naz. Gregorius alter nazianzenus, theologiae columen, divinarum personarum ordinem brevibus expressit in sermone, quem edidit in ipsa pentecostes sollemnitate: οὐδὲ γὰρ ἔπρεπεν ἐκλείπειν ποτὲ ἢ υἱὸν πατρὶ ἢ πνεῦμα υἱῷ: *non decuit*, inquit, *umquam deesse aut Patri Filium, aut Filio Spiritum sanctum*: aperte innuens, quod sicut Filius dependet a Patre, quia post Patrem est, ita Spiritus sanctus dependet a Filio, quia post Filium est: hoc enim est τὸ δευτερεύειν, hoc est *secundo loco haberi*, quod in divinis quid aliud potest innuere, quam rationem originis et auctoritatis, quae verbo processionis exprimitur? Ex quo verbo Iohannes damascenus, et ante

Ioh. damasc. Clemens alex. eum stromateus Clemens δευτερότητα deduxere quasi secunditatem, asserentes Filium esse δευτερότητα τῆς θείας ὑποστάσεως ἐν ταυτότητι φύσεως, idest secundum gradum personae in identitate naturae. Atque idem Damascenus, ipse quoque Deum appellans mentem, de divinarum ordine personarum sic disserit: αὐτὸς μὲν οὖν ἐστὶ νοῦς, λόγου ἄβυσσος, λόγου γεννήτωρ, καὶ διὰ λόγου προβολεὺς ἐκφαντορικοῦ πνεύματος: idest *ipsa mens est rationis seu verbi abyssus, verbi genitrix, et per verbum productrix, manifestatrix Spiritus*. Et rursum: τὸ δὲ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκφαντορικὴ τοῦ κρυφίου θεότητος δύναμις, ἐκ τοῦ πατρὸς ἐστὶ δι' υἱοῦ ἐκπορευομένη: idest *Spiritus sanctus est virtus manifestatrix arcani, quod est in divinitate ex Patre per Filium procedens*.

Cyrillus Cyrillus in expositione verborum Ioël prophetae sic ait: ἧ μὲν γὰρ ἔστι θεὸς, καὶ ἐκ θεοῦ κατὰ φύσιν ὁ υἱός· γεγέννηται γὰρ ἐκ τοῦ θεοῦ καὶ πατρός· ἴδιον αὐτοῦ καὶ ἐν αὐτῷ καὶ ἐξ αὐτοῦ τὸ πνεῦμα ἐστὶ· καθάπερ ἀμέλει καὶ ἐπ' αὐτοῦ νοεῖται τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς: id est *in quantum enim est Deus ex Deo, secundum naturam Filius genitus est ex Deo et Patre, proprius autem eius est, et in ipso, et ex ipso Spiritus, quemadmodum videlicet in ipso Deo et Patre intelligitur*.

Athanasius Sanctus etiam Athanasius personalis originis in divina essentia rationem habens de Spiritu sancto loquens, ait: τοῦτο γὰρ τὸ πνεῦμα πνοή ἐστι τοῦ υἱοῦ: *hic*, inquit, *Spiritus est spiratio Filii*, hoc est ex spiratione Filii, quae tamen est una et eadem cum spiratione Patris. Idem auctor in sermone, quem edidit in redarguenda responsione Meletii et Eusebii, sic inquit.

ἦν δὲ ἀδύνατον ἐν τῇ τῆς τριάδος δόξῃ τὸ πνεῦμα δοξάζεσθαι μὴ προοδικῶς ὂν ἐκ Θεοῦ δι᾽ υἱοῦ: *Impossibile est in Trinitatis gloria Spiritum sanctum glorificari, nisi progressive seu processive ex Deo per Filium.* Idem apertius ad Serapionem scribens ait: τὴν αὐτὴν ἔχει τάξιν ὁ υἱὸς πρὸς τὸν πατέρα, οἵαν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον πρὸς τὸν υἱόν: idest *talem habet ordinem Filius ad Patrem, qualem Spiritus sanctus ad Filium.* Quod Basilius iisdem paene verbis refert. Ad Amphilochium enim scribens ait: ὡς τοίνυν ἔχει ὁ υἱὸς πρὸς τὸν πατέρα, οὕτω τὸ πνεῦμα πρὸς τὸν υἱόν. Basilius

Praeter hos, Maximus, dignus vir tanto nomine, apertissime ordinem processionis Spiritus sancti refert dicens: πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὥσπερ φύσει κατ᾽ οὐσίαν ὑπάρχει τοῦ Θεοῦ ϗ πατρὸς, οὕτω ϗ τοῦ υἱοῦ κατ᾽ οὐσίαν ἐστὶν, ὡς ἐκ τοῦ πατρὸς οὐσιωδῶς δι᾽ υἱοῦ γεννηθέντος, ἀφράστως ἐκπορευόμενον: idest *Spiritus sanctus sicut natura secundum substantiam Dei et Patris existit, ita et Filii secundum substantiam est, veluti ex Patre substantialiter per Filium genitum ineffabiliter procedens.* Quod vir sanctus Tarasius palam in septima veluti synodo professus est dicens: πιστεύω εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸ ἐκ πατρὸς δι᾽ υἱοῦ ἐκπορευόμενον: idest *credo in Spiritum sanctum, qui ex Patre per Filium procedit.* Anastasius in libello, quem edidit de rectis dogmatibus sic ait: τοῦ δὲ σώματος τὸ ἰδίωμα λαβόντες ὡς παράδειγμα, τὴν ἀλληλουχίαν παριστήσαμεν διὰ τῆς τῶν μελῶν ἀναλογίας τε ϗ εἰκασίας· ταύτῃ γὰρ ϗ πνεῦμα στόματος αὐτοῦ, δηλονότι τοῦ Θεοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον λέγεται στόματος ὄντος τοῦ μονογενοῦς· ϗ πνεῦμα πάλιν ἐξ αὐτοῦ ἐκπορευόμενον. ϗ ἀποστελλόμενον, οὐ μόνον παρὰ τοῦ πατρὸς ἀλλὰ ϗ παρὰ τοῦ υἱοῦ: idest *corporis autem proprietatem accipientes ex analogia et similitudine membrorum, mutuam in divinis habitudinem constituimus: ex hoc enim Spiritus oris eius, idest Dei, Spiritus sanctus dicitur, quum sit Unigeniti etiam Spiritus ab ipso procedens, et missus non solum a Patre sed etiam a Filio.* Theodorus raithensis presbyter Spiritum oris Dei ita interpretatur, ut mentem idest Patrem, et verbum, idest Filium, et Spiritum sanctum sic ordinet. Λόγος γὰρ χωρὶς πατρὸς οὐκ ἔστιν, ὡς οὐδὲ νοῦς χωρὶς λόγου· νοῦν ἢ φαμὲν τὸν πατέρα τοῦ λόγου νοῦν, ἐν ᾧ λόγος, μεθ᾽ οὗ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον πνεῦμα στόματος τοῦ θεοῦ χρηματίζον· στόμα γὰρ πατρὸς ὁ υἱός: idest *verbum enim sine Spiritu non est, sicut neque mens sine verbo: mentem enim dicimus Patrem verbi mentem, in qua verbum, cum quo Spiritus sanctus, Spiritus oris Dei. Os enim patris Filius est.*

Margin notes: Maximus · Tarasius · Theodorus

Longum prope atque infinitum esset omnia graecorum theologorum dicta in hunc sensum tendentia referre. Satis est ex graecis auctoribus ostendisse, ordinem in divina esseutia divinis personis inter se essentialiter convenire; neque aliud esse in eis ordinem, quam ut una persona ex alia sit: prima non aliunde, secunda ex prima, tertia ex utraque. Quem ordinem in rebus, ut aiunt, essentialiter ordinatis universa natura consequitur. Esse enim alterius, et ab alio, et per alium, in divina essentia ad nihil potest accidentale respicere, sed ordinem personalem, qui eandem divinam essentiam in sua unitate, principium, medium, finemque contineat. Omnia, quae attulimus, dicta sanctorum ex evangelica veritate ordinem hunc ineffabilem Trinitatis insinuant, et Spiritum sanctum a Filio etiam procedere necessaria deductione concludunt. Quid enim sibi volunt sancti viri uno quasi ore exclamantes proprium esse Filii ut in ipso, et ex ipso sit Spiritus sanctus? nihil procul dubio aliud, quam exprimere complexum illum ioeffabilis suavitatis, quae communicatio sancti Spiritus a Pan-

Paulus

lo apostolo ouncupatur. Amor Patris et Filii in ipso dum amatur a Patre, ex ipso dum amat Patrem, cui Pater contulit quicquid habet, praeter quam ooo esse ab alio: quod illi conferre non potuit non ex impotentia divioae facultatis, sed ex natura proprietatis. Nec enim esse potest Filius, et ab alio non esse: potest tamen esse Filius, a quo simul et a Patre sit Spiritus sanctus. Contulit ergo Pater Filio quicquid habet, praeter id quod est constitutivum personae Patris: quod solum ex natura relativae oppositiooois Filio dari non potuit.

Ioh. chrys.

Quod aperte Iohanoes chrysostomus vere aureis verbis expressit super Iohannem dicens: πάντα ἐστὶν ὁ υἱὸς ὅσα καὶ ὁ πατὴρ, πλὴν τούτου ὅτι ἐκεῖνος μὲν ἐστιν γεννήτωρ, οὗτος δὲ γεννητὸς: idest *omnia est Filius quaecumque est Pater, praeter illud quod iste quidem est genitor, ille vero*

Cyrillus

genitus. Cyrillus vero manifestissime asserit etiam proprietatem spirationis, qua Spiritus sanctus procedit a Patre, Filio esse tributam, in expositione εἰς τὸν θ' ἀναθεματισμὸν dicens: ἄνθρωπος γεγονὼς λόγος, ἀπομεμένηκε καὶ οὕτω θεὸς, πάντα ἔχων ὅσα καὶ ὁ πατὴρ, δίχα μόνον τοῦ εἶναι πατὴρ καὶ ἴδιον τὸ ἐξ αὐτοῦ καὶ ἐν αὐτῷ ἐμπεφυκὸς ἅγιον πνεῦμα. *Homo*, inquit, *factus verbum, remansit etiam sic Deus, omnia habens quaecumque habet Pater, praeter quam esse Patrem, etiam proprium et ex ipso et in ipso innatum Spiritum sanctum.* Non contentus beatus Cyrillus omnia quae Patris sunt in Filio intelligere, praeter quam esse Patrem, subiunxit hoc esse etiam Filii proprium, ut ex ipso sit Spi-

ritus sanctus, quod illi a Patre collatum est. Ex quibus Iohannes damascenus conclusionem illam deduxit, omnia dedisse Patrem Filio, praeter ἀγεννησίαν, idest innascibilitatem. Ioh. dam.

CAPUT XIIII.

Remotio obiectorum.

Non est igitur, Graeci fratres, dissona tot graecorum sanctorum auctoritatibus Latinorum opinio, ut a Patre et Filio procedat Spiritus sanctus. Qui hoc pertinacius negant, de personarum divinarum ordine quaeri vetant, nihil in Trinitate prius aut posterius, nihil maius aut minus esse dicentes; quasi vero quo pacto in divinis prius et posterius intelligi debeat, Latinis ignotum sit: at vero id saltem discere potuerunt ex Graecis, si non ex evangelio didicissent: quod enim dicitur in divinis non esse prius aut posterius, tempus et causam excludit, quae in creaturis consideratur, non ineffabilis ordinis mysterium, quod relationibus personarum exprimitur. Videt, Deus, audit Deus, intelligit Deus, non tamquam is secundum creaturae modum audiat, aut videat, aut intelligat, sed tamquam is qui supra visum et auditum et intellectum est. Quod intuens propheta, dixit: " intelligite insipientes in populo, et stulti aliquando sapite. Qui creavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?" Sic profecto, qui omnino negant ordinem in divinis, interrogandi sunt, numquid qui omnia ordinat, ipse sine ordine sit? Negare igitur ordinem in divinis, nihil aliud est, quam negare Trinitatem. Dicitur ergo in divina essentia non esse prius et posterius, non quia inter divinas personas ordo non sit: sed quia ordo ille, ita est ordo, ut supra omnem ordinem sit, et causa totius ordinis. Quod licet Dionysius passim in divinis nominibus satis explicet, apertius tamen et particularius hac in parte a Iohanne chrysostomo in una ex eius homiliis exprimitur, quum ait: λέγεται γὰρ μὴ ἔχειν τάξιν ἡ τριὰς, οὐχ ὡς ἄτακτος, ἀλλ' ὡς τάξιν ὑπερβάινουσα: idest *dicitur enim non habere ordinem Trinitas, non tamquam inordinata, sed tamquam ordinem supercellens.* Admirabili igitur et ineffabili ordine Spiritus per verbum procedit ex mente, quia in divinis idem est mens, verbum, et Spiritus; hoc est Pater, Filius, et Spiritus sanctus. Sed si in homine hoc consideras, ad-

Dionysius

Ioh. chrys.

mirabile quidem est, non ineffabile: quia aliud est mens, aliud est verbum conceptum in mente, aliud spiritus ex mente et verbo procedens. Non est ergo subterfugienda haec ratio ordinis, immo vero ex omnibus sacrae scripturae et sacrorum doctorum interpretationibus investiganda. Quid enim aliud est, ut diximus, de processione Spiritus sancti quaerere, quam de ordine divinarum personarum quaerere?

CAPUT XV.

Confirmantur, quae dicta sunt, auctoritate graecae linguae theologorum.

Omnes, quos supra attulimus, graeci theologi merito magnae auctoritatis et nominis, hoc ipsum (ut ex eorum dictis videre potuimus) omni studio explicare conati sunt. Confitemur omnes, Patrem a nullo esse, Filium a solo Patre, Spiritum sanctum a Patre et Filio, sive a Patre per Filium: sed non esse aliunde, solius Patris est, qui hoc ipso differt a Filio et Spiritu sancto, quod aliunde non est. Filius vero et Spiritus sanctus in hoc conveniunt, quod aliunde sunt. Sed in hoc differunt, quod Filius a solo Patre est, et ideo Filius et unigenitus dictus, ne alter Filius diceretur. Spiritus sanctus vero hoc ipso differt a Filio quod a solo Patre non est; et ideo dicitur Spiritus utriusque et ab utroque; non autem dicitur filius, neque genitus, sed procedens; quia Filius quidem ab uno genitus, Spiritus sanctus autem ab utroque procedens. Haec est vera ratio indagandae processionis in mysterio Trinitatis. Dicet mihi Ephesianus quispiam: haec Latinorum deductio est, οὐ βούλομαι λατινίζειν: idest, nolo latinizare; sic enim solent imperiti quidam ex Graecis dicere. Ast ego βούλομαι γραικίζειν, idest volo graecizare; sed vide ne dum recusas λατινίζειν, videaris simul et βαρβαρίζειν, et σχισματίζειν, te simul et barbarum et schismaticum ostendens. Non est enim haec tantum Latinorum deductio, sed Graecorum.

Gregorius nys. Audiamus Gregorium nyssenum idem ex eadem consideratione deducentem in expositione orationis dominicae: ἀλλ᾽ ὥσπερ τὸ ἄνευ αἰτίας εἶναι μόνου τοῦ πατρὸς ὄν. τῷ υἱῷ καὶ τῷ πνεύματι ἐφαρμοσθῆναι οὐ δύναται, οὕτω τὸ ἔμπαλιν τὸ ἐξ αἰτίας εἶναι, ὅπερ ἴδιον ἐστὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ πνεύματος τῷ πατρὶ ἐπιθεωρηθῆναι φύσιν οὐκ ἔχει· κοινοῦ δὲ ὄντος τῷ υἱῷ καὶ τῷ πνεύματι τὸ μὴ ἀγεν-

νήτῳ εἶναι, ὡς ἂν μήτις σύγχυσις περὶ τὸ ὑποκείμενον θεωρηθείη, πάλιν ἔστιν ἄμικτον τὴν ἐν τοῖς ἰδιώμασιν αὐτῶν διαφορὰν ἐξευρεῖν, ὡς ἂν καὶ τὸ κοινὸν φυλαχθείη, καὶ τὸ ἴδιον μὴ συγχυθείη· ὁ γὰρ μονογενὴς υἱὸς ἐκ τοῦ πατρὸς παρὰ τῆς ἁγίας γραφῆς ὀνομάζεται· καὶ μέχρι τούτου ὁ λόγος ἵστησιν αὐτῷ τὸ ἰδίωμα· τὸ δὲ ἅγιον πνεῦμα καὶ ἐκ τοῦ πατρὸς λέγεται, καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ εἶναι προσμαρτυρεῖται· εἰ γάρ τις πνεῦμα Χριστοῦ οὐκ ἔχει, φησίν, οὗτος οὐκ ἔστιν αὐτοῦ· ὁ δὲ υἱὸς ἐκ τοῦ Θεοῦ ὢν, οὐκέτι καὶ τοῦ πνεύματος οὔτε ἐστὶ μὲν οὔτε λέγεται: idest *sicut non esse ab alio sive sine causa, quum sit solius Patris, Filio et Spiritui sancto convenire non potest; sic rursum esse ab alio, quod proprium est Filii et Spiritus sancti, ut in Patre consideretur, fieri non potest: quum autem commune sit Filii et Spiritus sancti non esse ingenitum, ne confusio aliqua circa subiectam rem consideretur, rursum est in suis proprietatibus exquirenda differentia, in qua mixtio non sit, ut servetur quod commune est, et quod est proprium non confundatur. Unigenitus enim Filius ex Patre in sacris scripturis nominatur, et huc usque verbum constituit ipsi proprietatem. Spiritus sanctus autem et ex Patre dicitur, et ex Filio esse testimonio probatur. Siquis enim*, inquit, *Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Igitur Spiritus qui ex Deo est, Christi etiam Spiritus est: Filius autem qui et ipse ex Deo est, neque est, neque dicitur Spiritus sancti.* Haec Nyssenus, cuius verba enarrabimus diligentius, quum graecos simul latinosque doctores conciliabimus.

Sed ego sane patrem hunc sanctissimum, neque ut graecum hominem, neque ut latinum, sed ut christianum libenter audio, pios et sanctos cogitatus de ineffabili Trinitatis ordine prae se ferentem, et a Latinorum deductione non dissentientem: una est enim fidei nostrae veritas, unum membrorum omnium caput noster Christus, in quo sumus invicem membra. Non esse ab alio, quod est esse ἄνευ αἰτίας, idest absque causa, solius Patris est proprium: non esse ingenitum, quod hoc loco accipitur, ac si dicatur esse ab alio, commune est Filii et Spiritus sancti. Inter Patris ergo personam unam, et Filii et Spiritus sancti reliquas personas duas, hoc interest, quod persona Patris a se ipsa est, sed Filii et Spiritus sancti non a se, sed a Patre. Quid igitur (quantum ad hoc attinet) interest inter personam Filii et Spiritus sancti, nisi quod Spiritus sanctus a Filio est, et Filius non est a Spiritu sancto? Quid ultra quaerimus? esse etiam a Filio Spiritum sanctum, omnes fatemur. Sapientiores schismatici esse a Filio dicunt, sed non procedere. Sed quae dementia est? quae

caecitas? quis stupor animi? putare in divina essentia minus significare *esse ab alio*, quam *procedere*. Idem est essendi et procedendi principium Spiritui sancto a Patre et Filio, quia Pater contulit Filio rationem eiusdem principii, a quo procedit Spiritus sanctus: et ob id a Graecis et Latinis dicitur esse Filii sicut et Patris, et a Filio sicut a Patre: nam quaerere aliam causam, qua Spiritus sanctus Patris et Filii, et a Patre et Filio dicatur, vera et supina dementia est.

CAPUT XVI.

Epilogus superiorum, et confirmatio, et explicatio, et Graecorum admonitio.

Immiscuimus tot sanctorum graecorum patrum dictis rationes theologorum latinorum, et facile (ut arbitror) ostendimus in utrisque eundem esse spiritum veritatis, et in tantae lucis excessu, quantum potuimus, mentis oculos per fidem obfirmavimus: non adduximus Chrysippi laqueos, neque retia syllogismorum, quae Latinis nunc imputat photiana apud Graecos factio, dum pertinaciam atque inscitiam simplicitate et ruditate praetendere conatur. Spiritum sanctum igitur, quem et catholica veritas, et Graeci omnes, qui se catholicos dici volunt, tertiam in Trinitate personam esse non ambigunt; quem et Filii et a Filio et per Filium esse non recusant, sed procedere negant a Filio, Latini etiam procedere fatentur ex Filio; quos profecto nulla movit opinionis ambitio, aut disputandi voluptas, sed in illo summo et incommutabili bono, in quem cogitatus omnes nostros iactare debemus, studium inquirendae et contemplandae veritatis: non enim ex dictis tot sanctorum patrum de divinis inter se personis pie disserentium intelligere potuerunt (id quod nulla ratione potest intelligi, et nulla fide credi) ut cum ex evangelicae doctrinae, et fidei catholicae documentis procul dubio persona Filii distinguatur a persona Spiritus sancti, quia Filius non est Spiritus sanctus, et Spiritus sanctus non est Filius, posset inter divinas personas alia esse distinctio, sive oppositio quam relationis, quae meram originem exprimat: relationes enim aliae, quae formam aut quantitatem aut qualitatem aut actionem passionemve respiciunt, nullo pacto in illa simplicissima natura locum sibi

Factio photiana

vendicant: quumque sola persona Patris ita sit Deus, ut non sit ex Deo, Filius vero et Spiritus sanctus ex Deo, oportet ut Pater referatur ad Filium et Spiritum sanctum, tamquam principium ad ea quae sunt ex principio: et quum paternitate referatur ad Filium et spiratione ad Spiritum sanctum, paternitas constituit personam, non autem spiratio, non aliam ob causam, nisi quia spiratio Filii personae communicata est, quae cum paternitate non habet oppositionem relationis, quia si eam haberet, alteram personam constitueret paternitas, alteram spiratio: ideoque Filius refertur ad Patrem et Pater ad Filium, relationibus; quae quia relativas oppositiones habent, duas personas constituunt, Patrem et Filium. Spiratio autem passiva constituit Spiritus sancti personam, quae quum relativam oppositionem non habeat in Patre et Filio, non constituit personam, quae per relativam oppositionem referatur ad Spiritum sanctum, sicut paternitas, qua Pater refertur ad Filium, et filiatio, qua Filius refertur ad Patrem. Tota autem ratio huius diversitatis est (quae sane dicenda est diversitas in intellectu nostro, non in Trinitate, in qua summa identitas est) quia Pater solus non cum alio generat: et non solus, hoc est cum Filio spirat; et ideo utriusque Spiritus est.

Hic est ordo quem diximus originis sive auctoritatis, qui per relationes in divinis exprimitur, hoc est prius et posterius, non temporis, non perfectionis, non essentiae, aut naturae, sed personalis originis; quae tamen non ab accidente, sed ab essentia et natura divina, in Trinitate ineffabili consideratur. Spiritus sanctus omnium consensu est Filii, et a Filio: Filius vero neque est Spiritus sancti neque a Spiritu sancto. Haec ergo differentia, quae habetur inter Filii et Spiritus sancti personam, ut Spiritus sanctus sit a Filio, et non Filius a Spiritu sancto, non potest esse differentia accidentalis respectu creaturae; quia sicut increatus Pater est, ita increatus est Filius, et Spiritus sanctus; neque potest esse differentia materialis, quum ibi non sit materia ullius generis, nec omnino ullum esse potentiale, quum sit actus purissimus et supremus. Igitur ibi alteram personam esse ab altera, est ordo originis. Quod si ordo originis, ergo processio. Ipsa etiam ex incorporearum rerum natura sumpta ratio idem praecipue commonstrat, male posse intelligi duas personas ab una procedentes, nisi altera ex procedentibus procedat ab altera: hic enim ordo per rationem (licet ratio-

ne non ita ineffabili) est in tota natura quae velut effectus Trinitatis refert per hebetem quandam imaginem ipsam Trinitatem.

Dicet mihi hoc loco photiana protervitas, se non ista percipere. Audiant ergo, et discant, et a graecis theologis, simulque a latinis doctoribus, velut a purissimis floribus, collectum mel caeleste degustent, cum Latinis et cum evangelio sentiant, et sicut Spiritum sanctum Filii, et a Filio, et per Filium esse fatentur, ita etiam ab eo procedere non negent, eumque nec prius nec plenius procedere a Patre quam a Filio, sed principaliter a Patre; non quia magis procedat a Patre, sed quia quum Pater omnia Filio contulerit, praeter quam esse Patrem (ut ex auctoritatibus graecis didicimus) hoc ipsum etiam illi contulit, ut a se procedat Spiritus sanctus. Quum enim omnia a Patre in Filium collata dicantur, sola a graecis theologis excipitur ἀγεννησία, idest innascibilitas, non etiam spiratio, quae licet principaliter sit Patris, Filio etiam communis est. Aliud nasci est, aliud procedere; illud propinquius, hoc remotius; illud particularius, hoc communius: procedere enim pluribus competit quam nasci: non enim omne quod procedit, nascitur; licet quicquid nascitur, etiam procedere dicatur. Nasci ab uno est, procedere a pluribus nasci: enim Filium ab uno Patre necesse est, uno a pluribus, licet procedere possit a pluribus id quod non nascitur, sed procedit. Et ideo a sancto viro Iohanne damasceno Filius solus a solo Patre dicitur; id quod ab eo non dicitur de Spiritu sancto.

Ioh. dam.

Credamus ergo in Spiritum sanctum dominum et vivificantem, qui a Patre filioque procedit. Deme, inquit Photius, a Filio, tecum sentio. Sed quae temeritas est demere a Filio id quod Pater dedit Filio? Audi, quaeso, non latinam sapientiam, non latinam prudentiam, non tot graecos quos adduximus theologos, viros optimos et sanctissimos, sed ipsam vocem Filii Dei, ipsum Deum de Deo, et lumen de lumine, non iam parabolis, sed aperte loquentem. Spiritum sanctum vivificantem dicimus; sed unde habet ut vivificet, nisi unde habet ut sit, et dicatur? Spiritus sanctus vivificans procul dubio dicitur a vita, quam Pater habet in semet ipso, tamquam principium non solum vivificandi, sed quo Spiritus sanctus est vivificans: quamquam Spiritus sanctus non habere dictus est in semet ipso, sicut Filius, qui dicit in Iohannis evangelio: sicut Pater habet vitam in semet ipso, ita et Filio dedit vitam habere in semet ipso. Habet ergo vivificandi facultatem, et vivificans dicitur Spiritus sanctus a Patre et

Photius

Filio, qui unam habent eandemque vitam in semet ipsis, a qua Spiritus sanctus et dicitur et est vivificans, tamquam uno vivificandi principio. Quod sanctus pater Athanasius ad Serapionem scribens, Athanasius et hunc evangelii locum exponens, appellat vitam in Filio naturam spirantem unam eandemque Patris et Filii, a qua spiratur et procedit Spiritus sanctus. Licet enim ipse etiam Spiritus sanctus sit et dicatur vita, quia in divinis idem est vita, et essentia, et Deus; tamen non dicitur habere vitam in semet ipso respectu Patris et Filii, quia non habet illam in semet ipso, tamquam principium a quo aliquid in divinis procedat, sed solum respectu creaturae, quod sic non est proprium Spiritus sancti, sed omnium personarum. Ab hac ergo una vita Patris et Filii, quae in ipsa essentia divina principium est, ante quam sit principium in creatura, procedere dictus est a Latinis Spiritus sanctus.

Haec est opinio, Filii Dei verbis consona, fundata in evangelio Christi, plena fidei, plena divinae sapientiae, graecorum et latinorum patrum testimoniis undique approbata. Noli, quaeso, quisquis ex Graecis es, qui de tanta re disserere audes, contra piam Latinorum sententiam calcitrare, nisi evangelium perlegeris; nisi graecos doctores evolveris. Latinos etiam moneo graecam in ea re pertinaciam asperius ne vexent. Assueta olim cunctos docere Graecia, nunc etiam in suo idiomate interprete indiget. Putat se recte sentire quod sentit, habet apparentia suae persuasionis diverticula, in quae confugiat. Graecus latinizet, Latinus graecizet in Christo, solvantur impietatis fasciculi, removeantur offendicula pertinaciae, in quae caeci a caecis ducti cespitant et labuntur. Credit plerumque certius imperita turba quod nescit; et dum vitant stulti vitia, in contraria currunt. Siquis est, qui se putet esse aliquid, non dicam quod non scit, sed etiam quod scit ita doceat, ut discat; ita loquatur, ut audiat; ita sit in suo sensu sapiens, ut malit esse in evangelio insipiens. Christus nos docuit inimicos diligere, et pro transgressoribus et se crucifigentibus orare; quanto magis pro iis, qui non nobis, sed sibi ipsis nocent male sentientes, aut audire et intelligere nolentes? Opus est Spiritus sancti misereri proximo, ulcera eius inungere atque alligare, et in mansuetudine ac lenitate mentis duritiem emollire. Amissum in Graecia imperium, amissa civilitas, amissa liberalia studia, amissus non tam splendor linguae, quam ipsa lingua. In religiosis vero, et iis

quorum est alios in fide docere atque instruere, sola, ut supra diximus, barbarum promissarum et impexorum crinium austeritas relicta est: oculos habent, et non vident; aures habent, et non audiunt; docentes habent, quos retulimus viros doctissimos et sanctissimos, eosque non solum non intelligunt, sed intelligere nolunt. Sit igitur vobis, Graeci fratres, una cum Italis et omnibus catholicis in via caritatis, idest Spiritus sancti, unitas mentium, pietas animorum: in via veritatis lucerna pedibus vestris verbum Christi, ut de Spiritu sancto idem in alterutrum sapiatis, et unanimes Deum Patrem, et Deum Filium, in utriusque Spiritu agnoscatis atque adoretis.

HIERONYMI DONATI

DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI

CONTRA GRAECUM SCHISMA

LIBER SECUNDUS.

PROOEMIUM.

Satis, ut arbitror, libro superiore explicata et confirmata est latinorum patrum ab optimis quibusque graecis auctoribus non dissentientium vera et pia de Spiritus sancti processione sententia. Deinceps ad institutum negotium maxime pertinere existimamus, quibus auctoritatibus sacrarum scripturarum, et quibus rationibus conscitata graeca natio, eorum dico, qui se catholicos dici nolunt, assertionem suam tueri et obfirmare nititur, ut nullo modo Spiritum sanctum a Filio etiam procedere fateri velit, quum eum et esse Filii, et a Filio, et per Filium, non inficietur. Conabimur itaque, iuvante Spiritu sancto, non minore studio, neque tepidiore diligentia omnia assertionis contrariae diverticula, omnes ansas, omnes tabulas, omnia fragmenta, quibus se in hoc pertinaciae suae naufragio committunt, adducere, et suis quaeque locis singula aut refellere, aut recte interpretari: sic enim prorsus quod ab initio instituimus apparebit, non solum unde haec

controversia oriatur, sed quid secum ex sacris scripturis utrimque habeat; quid non in contentione verborum, sed in via veritatis afferat. Equidem teste, Dionysio areopagita viro doctissimo et sanctissimo, et, ut mihi videtur, Platone christiano, malum omne semper bono adiunctum et permixtum est, quia id quod penitus est expers boni, neque est omnino, neque potest esse aliquid, error, et deceptio, et falsitas, quae omnia sunt discessus a veritate, sine aliqua parte certitudinis et veritatis non possunt ulla ratione subsistere. Adulterinum numisma nisi speciem aliquam habet veri numismatis, falsitatem prae se ferre nullo pacto potest. Sic falsa opinio semper veritati permixta est: quicquid non recte intelligitur, aliqua sui parte recte comprehenditur. Sic se excusant Graeci, sic Latinos culpant. Quid, inquiunt, cum Latinis convenire Graeci possumus? qui dum Spiritum sanctum a Patre et Filio procedere contendunt, duo principia efficiunt Spiritus sancti, Manichaeo et Marcione importuniores. Quid enim est aliud Spiritum sanctum a Patre et Filio procedere, quum Filius non sit Pater, et Pater non sit Filius, quam duo principia in divina essentia constituere? Spirare enim Spiritum sanctum, quum personae sit, non essentiae, non potest esse idem principium in duabus personis; quia ea quae ad personas pertinent in divina essentia relationibus distinguuntur; essentia vero in tribus personis est eadem.

Dionysius

CAPUT I.

De prima graeci schismatis excusatione super nicaeno concilio perperam fundata.

Sed ante quam veniamus ad rationes et argumenta, quibus munire et adstruere assertionem suam conantur (quae omnia singulatim suis quaeque locis adiecta confutabimus, et ex non multa theologiae et philosophiae cognitione procedere monstrabimus) operae pretium est prius in medium adducere, id quo se potissimum Graeci protegunt, et Latinos oppugnant. Nicaena synodus affertur, quasi postrema in hac controversia veritas, et res iudicata, a qua provocare non liceat: de cuius decreto quicquam velle diminuere, aut addere, aut immutare, non solum superstitiosum et impium est, sed execrabile et profanum. In ea enim consentiente magno patrum

numero tam graecorum quam latinorum, fides Christi velut edicto proposita est, et conclusa symbolo, quod occidentalis et orientalis ecclesia simul excepit, et merito punctis omnibus approbavit. In ea enim ita constitutum est: *καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ κύριον, τὸ ζωοποιὸν, τὸ ἐκ τῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον*: idest *et in Spiritum sanctum dominum et vivificantem, qui ex Patre procedit.* Hoc, inquiunt, est quod de Spiritu sancto sentire fidelibus iniunctum est. Nos, inquiunt, congregatam in Spiritu sancto synodum de processione eiusdem Spiritus recta sensisse recta tradidisse credimus; nihil ultra superstitiose aut contentiose quaeritamus, nihil ambigimus, nihil haesitamus, nihil novum addimus. Symbolum patrum sanctorum decreto sancitum in sinceritate cordis excipimus, nihil ex eo immutamus aut delemus, nihil velut sanctis illis patribus doctiores aut meliores adiungimus. | Cur addunt Itali ex Filio? cur immutant? cur invertunt synodi universalis dogma sanctissimum? quae necessitas hoc auctarium attulit? quae obscuritas hanc interpretationem exegit? quasi vero in eo symbolo Christi fideles et credere et baptizari non poterant, nisi Latini aliquid velut sapientiores addidissent. Nos, inquiunt, sapere nolumus plus quam oporteat sapere ad sobrietatem: haec est sobria sapientia, qua non inflamur, sed erudimur, et esse humiles docemur in Christo, assentire sanctis patribus in sancto Spiritu toties congregatis, nihil supra nos quaerere. Dionysius Sic enim et Dionysius suadet dicens: *καθόλου τοιγαροῦν, οὐ τολμητέον εἰπεῖν, οὔτε μὴν ἐννοῆσαι τί περὶ τῆς ὑπερουσίου καὶ κρυφίας θεότητος παρὰ τὰ θεοειδῶς ἡμῖν ἐκ τῶν ἱερῶν λογίων ἐκπεφασμένα*: idest *in universum autem de supersubstantiali deitatis arcano nihil temere effari vel cogitare nobis liceat, praeter quam ea, quae in sacris litteris divine tradita conspiciuntur.*

Adde quod in tertia synodo, etiam anathematis poena proposita est iis, qui addere quicquam aut demere, aut immutare tentaverint hoc edicto: *ὥρισεν ἡ ἁγία σύνοδος ἑτέραν πίστιν μηδενὶ ἐξεῖναι προσφέρειν τε ἢ συγγράφειν ἢ συντιθέναι, παρὰ τὴν ὁρισθεῖσαν παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων τῶν ἐν Νικαίᾳ συναχθέντων ἐν ἁγίῳ πνεύματι· τοὺς δὲ τολμῶντας ἢ συντιθέναι πίστιν ἑτέραν, ἢ προσκομίζειν, ἢ προσφέρειν τοῖς ἐθέλουσιν ἐπιστρέφειν πρὸς ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας ἢ ἐξ ἑλληνισμοῦ ἢ ἐξ ἰουδαισμοῦ ἢ ἐξ αἱρέσεως οἱασδηποτοῦν, τούτους εἰ μὲν εἶεν ἐπίσκοποι ἢ κληρικοὶ, ἀλλοτρίους εἶναι, τοὺς ἐπισκόπους τῆς ἐπισκοπῆς, καὶ τοὺς κληρικοὺς τῦ κλήρου· εἰ δὲ λαικοὶ εἶεν, ἀναθεματίζεσθαι.* *Decrevit sancta synodus nemini aliam*

fidem proferre, aut conscribere, aut componere licere praeter eam, quae a sanctis patribus in Nicaea congregatis in Spiritu sancto determinata est. Qui vero audent aliam fidem componere, aut afferre, inducere aut proferre, volentibus convertere se ad cognitionem veritatis, sive ex graeca gentilitate, sive ex iudaismo, sive ex quavis haeresi, hi si episcopi fuerint, aut clerici; episcopi quidem episcopatu, clerici vero clero priventur; si vero laici fuerint, anathematizentur. Haec prima est excusatio graeci schismatis, et accusatio Latinorum, hoc sese in primis clypeo protegunt, hoc sese vallo tuentur, dum se in fide simplices et obsequentes faciunt, Latinos vero velut contumaces, et refractarios, et sanctae synodi decretis repugnantes, anathematis reos arguunt, qui non necessariam symbolo adiectionem apponentes, perturbant omnia, et occasionem schismati soli praebent. Si nihil Latini addidissent symbolo, huius controversiae schisma non esset.

CAPUT II.

De secunda excusatione qua praetendere Graeci evangelicas auctoritates conati sunt.

Ceterum prius quam huic graeci schismatis excusationi, et Latinorum accusationi respondeamus, operae pretium est simul evangelicas auctoritates, quibus potissime innituntur, adducere, ut maioribus munimentis vallata graeca persuasio, graviore lapsu corruat, et una cum profundioribus radicibus extirpetur. Iam vero, mihi inquiet graecus quasi rectam et simplicem fidem ex evangelio exigens, omittamus interim nicaenam synodum, ipsam evangelii lucem intueamur, ipsa Filii Dei verba et apostolorum dicta pensitemus. In primis id quod in Iohannis evangelio scriptum est et ex ore Christi prolatum, *quum venerit paraclytus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*; nonne, inquiunt, hoc loco, unigenitus Dei Filius Spiritum sanctum, quem se a Patre missurum promittit, a Patre procedere testatur? Cur tacuit a Filio? Cur id quod Christus dicere noluit, Latini tam constanter asserunt? De processione Spiritus sancti disputas? quid mihi auctores graecos aut latinos ingeris? Quem sapientiorem aut veriorem testem affer-

re potes? Interroga de Spiritu sancto Filium: ipse tibi dicet, quod procedit ex Patre. Ex eodem Iohannis evangelio haec verba sunt Christi: *si diligitis me, mandata mea servabitis, et ego rogabo Patrem, et alium paraclytum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis.* Filius se rogaturum Patrem pollicetur, ut Pater det paraclytum: ex quo coniicitur non processione, sed interventu Filii dari Spiritum sanctum, qui procedit ab eo qui dat, non ab eo qui rogat aut intercedit. Tertius locus ex eodem evangelio profertur, ubi haec verba sunt Christi, ex quibus Spiritum sanctum a Filio nullo pacto posse procedere monstratur: *haec*, inquit, *loquutus sum vobis apud vos manens: paraclytus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis.* Pater, inquiunt in nomine Filii sive per Filium mittit Spiritum sanctum: mittit ergo Pater, id quod accipit Filius, id quod acceptum effundit Filius, id quod procedit a mittente non ab accipiente. Filius enim non mittit, nisi accipiat, et ideo videtur Pater mittere in nomine Filii accipientis et effundentis id quod a se procedit, in nomine eius a quo non procedit, sed quo accipiente sive intercedente procedit.

CAPUT III.

De tertia excusatione quam super apostolicis verbis graeci schismatis auctores fundaverunt.

Haec sunt quae potissimum afferunt ex evangelio. Audiamus quibus apostolorum auctoritatibus innitantur. Attulimus, inquiunt, Iesum Dei Filium de processione Spiritus sancti loquentem: afferamus apostolos et discipulos a mittente et docente nulla in parte dissentientes. Petrus petra illa, super quam Christus fundavit ecclesiam, apud Lucam evangelistam in actibus apostolorum, sic disserit loquens de Spiritu sancto plenus eodem Spiritu, et dicens: *hunc Iesum suscitavit Deus, cuius nos omnes testes sumus.* Et subdit: *dextera igitur Dei exaltatus promissionem Spiritus sancti accipiens a Patre, effudit hunc, quem nunc vos videtis, et auditis.* Superius in evangelio Christus magister et dominus dixerat, *quem ego mittam vobis a Patre*: hic discipulus et servus non recedens a doctri-

na praeceptoris et domini, et quasi interpres verborum eius, inquit, Filium accipere Spiritus sancti promissionem a Patre, et in nobis effundere, non ex se spirare, ut a se procedat etiam Spiritus sanctus: hoc enim Patris est non Filii, qui accipit a Patre id quod suum non est, in quantum procedit, sed in quantum accipitur. Accipit enim Spiritum sanctum, qui procedit a Patre, et ipsum effundit in nobis. Recte igitur, dicunt Graeci, credimus a solo Patre procedere Spiritum sanctum, qui non procedit a Filio, sed ab eo accipitur ut effundatur in nobis: et ideo esse eius, et ab eo, et per eum, non negatur. Multa enim nostra sunt, et a nobis, et per nos, quae non procedunt a nobis.

Paulus doctor gentium, vas electionis, qui raptus in caelum audivit in arcana Dei, quo teste post evangelium nihil est grandius, ad Galatas scribens, ait: *misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem, abba pater.* Quis Deus misit Spiritum Filii, nisi Deus Pater? Spiritum, inquam, Filii quia non alienum a Filio, sed eiusdem substantiae cum eo: missum tamen a Patre, quia procedit a Patre. Et licet in evangelio Filius aliquando dictus sit mittere Spiritum sanctum, puta cum dixit: *quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis*; non dixit simpliciter, quem ego mittam vobis, sed quem ego mittam vobis a Patre: quasi dicat Filius, missum se intercedente, sed procedentem a Patre cuius personae competit spirare Spiritum sanctum: hic tacite innuens, quod alibi dixit expressius, *quum* dixit *qui a Patre procedit.* At vero idem apostolus ad Titum scribens ait: *qui salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nobis abunde per Iesum Christum salvatorem nostrum.* Spiritum sanctum a Patre per Filium effundi testatur magnus apostolus, non autem a Filio procedere; qui si etiam procedere a Patre per Filium dixisset, non tamen procedere, a Filio dici deberet. Nos denique, inquiunt, Spiritum sanctum a Filio procedere non dicimus, quia non solum symbolo, sed evangelio et apostolis contraria proferre nec volumus, nec debemus. Praeter haec quae adduximus pro assertione graeci schismatis, quibus a solo Patre Spiritus sancti processionem dici et credi debere arbitrantur, introducta etiam sunt a Photio, et a quibusdam recentioribus argumenta, et divisiones, et variae interpretationes, quae suis locis, simul afferemus, et confutabimus. Sed prius haec, quae attulimus, discutiamus: sic enim fa-

Paulus

Photius

cilius omnis quaestio solvitur, ubi sumpta per partes singula conferuntur, et quae obiecta sunt, mutuo congressu, aut probantur, aut excluduntur.

CAPUT IIII.

Eversio primae excusationis super nicaeno concilio fundatae, ubi longo progressu de synodis agitur, et quae, et quot fuerint, et quae in eis de sanctissima Trinitate, deque processione Spiritus sancti decreta, et quae symbola promulgata fuerint, explicatur.

Quod igitur ad nicaenam synodum attinet, quae affertur, ut diximus quasi res indicata, quae (si iureconsultis credimus) pro veritate accipitur, contra quam provocare ex iure et lege non licet, anathematis praesertim poena proposita; ordiamur altius, ut veritatem profundius intueri possimus. Sicut enim lex omnis tum denique recte intelligitur, quum non solum verba ipsa legis, sed etiam legis latoris mens, et ratio atque occasio ferendae legis agnoscitur, sic profecto symbolum quasi lex fidei eius articulos continens, quod in nicaena synodo, quasi a legis christianae interpretibus propositum est velut edictum, quo quisque intelligat, quid debeat in Christi fide credere, diligentius considerandum est, ut si ex edicto reos condemnare velimus, noscamus prius non solum verba edicti, sed mentem constituentis edictum. Videamus igitur quam ob causam congregata fuerit nicaena synodus, quibus temporibus, quid statuerit, quid iusserit, quid permiserit, quid vetuerit: hoc profecto non solum ad intelligentiam symboli plurimum afferet, sed ad discutiendum, numquid symbolo addere quicquam liceat: et si liceat, quid, et quo pacto liceat.

Constat igitur nicaenam synodum trecentorum decem et octo patrum, temporibus magni Constantini imperatoris, et Silvestri summi pontificis in Nicaea civitatis Bithyniae convenisse, non ut ederet novum symbolum, aut novos fidei articulos constitueret, sed ut symbolum contra haereticos interpretaretur. Iam enim ante nicaenam synodum fuerat in ecclesia symbolum, quod non nicaena aut constantinopolitana, non carthaginiensis aut lugdunensis synodus

ediderat, sed concilium apostolorum, qui ex ipso Christi nostri redemptoris et Filii Dei afflatu acceperant Spiritum sanctum, et loquentem Iesum viderant, et audierant, et castissimis manibus contrectarant: sed simplex et nudum symbolum contra haereticorum perfidiam, sancti Patres quasi munire atque armare conati sunt. In prima enim illa ecclesiae velut infantia, quum multitudinis, ut ait Lucas evangelista, credentium esset cor unum, et anima una, nihil opus fuit, idem sentientibus, ex synodalibus institutis nova interpretari. Paulatim deinde diffusa in gentibus fide Christi, primum inter Graecos semina schismatum spargi coepere. Ad Corinthios scribens Paulus, *audio*, inquit, *schismata in vobis esse*; quod vitium ibi magno artificio extirpare nititur, docens neminem nos praeceptorem habere nisi Christum. Et ad Galatas, ait: *si angelus aliud evangelizaverit, praeter id quod accepistis, anathema sit.* Lucas ev. Paulus.

Sed post praedicationem apostolorum non minus a persequutoribus christiani nominis divaricata sunt martyrum membra et lacerata corpora, quam ab haereticis ipsum Christi evangelium contaminatum, et veritas conclusa symbolo apostolorum impie distracta: ipsum enim enim etiam symbolum fidei suos tortores et carnifices habuit. Nam praeter illos primos Sadducaeos, non defuerunt Cataphryges, et Severiani, Hebion, Marcion, Valentinus, Montanus, Novatus, Cerinthus, Nepos, Manichaeus, Arrius, Sabellius, Nestorius, Apollinaris, Eunomius, Macedonius, Pelagius, Eutyches, Photinus, Donatus, et alii prope innumerabiles, quos praetereo, quorum nomina una cum his omnibus in perditionis barathro sepulta sunt. Omnes hae pestes ex oriente profectae sunt, praeter Novatum, et Donatum, quorum alter Romae, alter in Africa schisma excitavit, et ex illis etiam Graeci plurimi extitere: quibus varias in partes inconsutilem Christi tunicam impie discerpentibus, statuta concilia sunt. Et primum quidem concilium non in Nicaea Bithyniae, sed in urbe Roma ducentis circiter et quadraginta post Christum annis indictum est. Congregatis sexaginta episcopis, totidemque presbyteris, aliisque pluribus diaconibus, Novatus reus iudicatus est, non quod male sentiret de Christo, aut omnino de unitate Trinitatis, sed quia paenitentes apostatas non esse recipiendos asserebat, et ex ea occasione novum iam in ecclesia schisma commoverat.

Interea in oriente novis semper insurgentibus haereticis, collidebatur evangelium Christi. Non de neganda, aut concedenda delinquentibus venia agebatur, sed ipse Christus blasphemabatur, ipsa oppugnabatur Trinitas, et fides lacerato apostolorum symbolo corruebat. Marcionis secta negabat Patrem domini nostri Iesu Christi Deum esse creatorem. Hebionis vero Christum quidem profitebatur, sed in circumcisione, non in baptismo; in lege timoris, non in lege amoris, in testamento veteri, non in evangelio. Photinus Samosatenum sequens, Christum non hominem Deum natum, sed ex homine factum Deum asserebat. Sabellius divinas inter se personas confundebat. Arrius et Eunomius essentiam dividebant. Manichaeus cum plurimis aliis deliramentis atque anilibus fabulis nativitatem et passionem Christi suppositicias et apparentes, non veras aut existentes affirmabat: Spiritum sanctum una cum Arrio et Sabellio non Deum et dominum, sed creaturam et servum esse affirmabat. Inter has procellas fidei, et evangelii pestes, iam inter ceteros Arrius alexandrinus presbyter eorum erexerat, magnae inter haereticos auctoritatis et nominis, dogma perfidiae palam efferebat, tres in Trinitate gradus inaequales asserens, Christi ecclesiam subvertebat. Patrem essentia maiorem Filio, Filium minorem Patre, Spiritum sanctum creaturam quidem, sed omnium creaturarum longe excellentissimam et perfectissimam esse dicebat. Serpebat ulcus quotidie maius et largius. Omnes Arrio velut principi manus dabant.

Haec cum incredibili molestia audiens Silvester romanus pontifex vere summus atque sanctissimus primo per Alexandrum Alexandriae antistitem removere Arrium a dementia conatus est: id ubi non successit, cum Constantino imperatore piissimo, qui Silvestrum pontificem mirum in modum venerabatur, egit ut in Nicaea civitate Bithyniae anno post salutem christianam trecentesimo vicesimo quinto, convenientibus cum Arrio catholicis, contra arrianam perfidiam concilium indiceretur; quod et factum est, ut diximus, trecentis decem et octo patribus, ex quibus quidem multi cum Arrio primo sentire visi sunt; sed re disceptationibus agitata, quum Filium ὁμοούσιον, idest consubstantialem Patri, dici debere sancitum esset, in saniorem sententiam concessere, sex dumtaxat ex iis, qui in concilio fuerant, cum Arrio ex Constantini decreto exulantibus. Photinus etiam improbatus est, contra quem dici debere decretum est Deum de Deo genitum Filium, non ut ipse asserebat, ex ho-

mine factum Deum. Sed et sequentes Sabellium expulsi sunt, qui unam tantum Patris, Filii, Spiritusque personam praedicabant. Nihil in hac nicaena synodo, quae prima dicitur, de Spiritus sancti processione decretum est, nisi quod in eius actis, a Leontio episcopo consentientibus omnibus patribns dictum esse comperio: εὑρίσκεται τὸ πνεῦμα ἐκπορευόμενον μὲν ἐκ πατρὸς, ἴδιον δὲ τοῦ υἱοῦ ὑπάρχον, καὶ ἐξ αὐτοῦ ἀναβλύζον: *inrenitur Spiritus ex Patre quidem procedens; proprius autem est Filii etiam ex ipso manans Spiritus.* Sed in hac prima synodo de persona Filii contra Arrianos in primis est disputatum, obfirmata patrum sententia, ut contra eos in symbolo Filius Patri ὁμοούσιος, idest consubstantialis, pronunciaretur. Quod ut clarius appareat, ipsam symboli expositionem ex nicaena synodo afferamus in medium: nec enim symbolum novnm aliquod editum esse dicimus in nicaeno concilio, sed id quod ab apostolis erat traditum, est declaratum. Ipsa vero expositio eiusmodi est.

Πιστεύομεν εἰς ἕνα θεὸν πατέρα παντοκράτορα, πάντων ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων ποιητήν· καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ πατρὸς μονογενῆ, τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς, θεὸν ἐκ θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, θεὸν ἀληθινὸν ἐκ θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ πατρὶ, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο τά τε ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ τὰ ἐν τῇ γῇ· τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα καὶ σαρκωθέντα καὶ ἐνανθρωπήσαντα, παθόντα, καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς, καὶ ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρὸς καθήμενον, καὶ ἐρχόμενον κρίναι ζῶντας καὶ νεκρούς· καὶ εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα· τοὺς δὲ λέγοντας, ἦν ποτὲ ὅτε οὐκ ἦν, καὶ πρὶν γεννηθῆναι οὐκ ἦν, καὶ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας φάσκοντας εἶναι, ἢ τρεπτὸν, ἢ ἀλλοιωτὸν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, τούτους ἀναθεματίζει ἡ ἁγία τοῦ θεοῦ καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία. *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem omnium visibilium et invisibilium factorem: et in unum dominum Iesum Christum Filium Dei, genitum ex Deo Patre unigenitum, idest ex substantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum vero de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt in caelo et in terra: qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendens incarnatus est, et homo factus est, qui passus est, et resurrexit tertia die, et in caelos ascendens sedet ad dexteram Patris, qui venturus est iudicare vivos et mortuos: et in Spiritum sanctum. Eos autem qui dicunt, erat aliquando cum non erat, et antequam generaretur non erat, et quod ex non entibus*

Leontius.

factus est: et eos qui affirmant Filium Dei esse ex alia hypostasi, aut substantia, sive mutabilem et alterabilem, hos anathematizat sancta Dei universalis et apostolica ecclesia.

Nihil igitur in nicaena synodo de Spiritus sancti processione sancitum esse constat, neque ulla interpretatio aut declaratio ea in parte addita est, quia contendentibus haereticis Spiritum sanctum esse creaturam, quaestioni processionis locus nondum esse poterat: prius enim inducendi erant, ut Spiritum sanctum Deum esse faterentur, quam ut eum procedere, aut non procedere a Filio docerentur. Sed post nicaenum concilium magis ac magis in dies, quasi irritatis crabronibus, arriana labes invaluit, et usque in occidentis partes serpuit, Constantio Constantini magni filio Arrianis favente, et imperium simul ac fidem catholicam discerpente. Campensis in oriente, Auxentius in occidente, arriani praesules, omnia vastabant. Sed Auxentii furor apud Insubres ab Ambrosio viro sanctissimo et doctissimo oratione et armis compressus est, et fides catholica aliqua ex parte restituta est.

In oriente vero pesti etiam pestis accessit. Nam post mortem et exilia sanctorum virorum, Macedonius constantinopolitanus antistes Filium quidem Patri ὁμοούσιον, idest consubstantialem, contra Arrii haeresim affirmabat, sed Spiritum sanctum non Deum, non dominum, sed creaturam et servum esse dicebat. Itaque simul Arrianis et Catholicis infensus, ab Arrianis quidem sede deiectus est, et a Catholicis haereticus indicatur. Contra quem secunda synodus constantinopolitana sub Gratiano et Theodosio imperatoribus, et Damaso Romanorum pontifice congregata est, sexagesimo tertio post primam nicaenam synodum anno, convenientibus prioribus dumtaxat numero centum quinquaginta. Symbolum quod in nicaena synodo superioribus annis contra Arrium interpretatum et promulgatum fuerat, denuo recitatur, recognoscitur, exponitur; contra novos hostes, novis armis armatur; et ea in parte, qua inermc relictum fuerat, munitur. Nihil enim de Spiritu sancto in eo erat additum, sed illud tantum quod apostoli pronuntiarant, hoc est *credo in Spiritum sanctum.* In hac ergo synodo additum est omnium consensu: *dominum et vivificantem, qui ex Patre procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui loquutus est per prophetas.* Sed ut facilius videri possit utriusque expositionis additio, non pigebit recognitum in constantinopolita-

na synodo nicaenum symbolum inserere, licet in ecclesiis vulgatum quisque fere sibi reminisci valeat.

Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς, ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων· καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν μονογενῆ, τὸν ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα πρὸ πάντων τῶν αἰώνων, Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, Θεὸν ἀληθινὸν, γεννηθέντα οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ πατρὶ, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο· τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους, καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα ἐκ τῶν οὐρανῶν, καὶ σαρκωθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου, καὶ Μαρίας τῆς παρθένου καὶ ἐνανθρωπήσαντα· σταυρωθέντα τε ὑπὲρ ἡμῶν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, καὶ παθόντα, καὶ ταφέντα, καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ κατὰ τὰς γραφὰς, καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς καὶ καθεζόμενον ἐκ δεξιῶν τοῦ πατρὸς, καὶ πάλιν ἐρχόμενον μετὰ δόξης κρίναι ζῶντας καὶ νεκροὺς, οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος· καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ κύριον, τὸ ζωοποιὸν, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον· τὸ σὺν πατρὶ καὶ υἱῷ συμπροσκυνούμενον καὶ συνδοξαζόμενον, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν· εἰς μίαν ἁγίαν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν· ὁμολογῶ ἓν βάπτισμα εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν· προσδοκῶ ἀνάστασιν νεκρῶν, καὶ ζωὴν τοῦ μέλλοντος αἰῶνος. Ἀμήν. *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem factorem caeli, et terrae* et reliqua. Licet videre quam multas expositiones symbolo nicaeno addiderint centum quinquaginta patres constantinopolitani concilii, qui symbolum constituerunt, quod in omnibus orientis et occidentis ecclesiis exceptum et decantatum est. Confestim enim eodem tempore Damasus pontifex constituit, ut in celebratione missarum solemnium decantaretur et quasi promulgaretur contra haereticos, astante populo, ita tamen ut per ferias tantum horasque canonicas et quotidianas symbolo apostolorum, quod minus dicitur, uteremur; quod quidem minus symbolum dictum est, non quia minus contineat nicaeno symbolo, sed quia brevius et pressius, unam eandemque fidem exprimat, quod vere symbolum dicendum est. Maius symbolum, non virtute, sed verbis expositio minoris est: quia semper interpretatio textu diffusior est.

Damasus

Sed quum magnum symbolum, non proprie symbolum sit, sed expositio symboli, omittamus alias expositiones quae, ut diximus, contra haereticos de persona Filii male sentientes adiectae sunt, et in expositione illius particulae, *credo in Spiritum sanctum*, aliquantisper mentis aciem acuamus. Nihil ultra dicitur in minori symbolo, quam *credo in Spiritum sanctum*; nihil item in prima nicaena synodo adiectum est huic particulae: sed constantino-

politana synodus adiecit: τὸ κύριον τὸ ζωοποιὸν τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, τὸ σὺν πατρὶ καὶ υἱῷ συμπροσκυνούμενον καὶ συνδοξαζόμενον, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν: idest *dominum et vivificantem, qui ex Patre procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui locutus est per prophetas.* Vides quanta adiecta et coniecta sunt, quae nihil plus dicunt quam illa particula, credo in Spiritum sanctum, sed latins sensum extendunt, et plura declarant. Sed quaerit Graecus cur dictum est a Patre procedit? Contra quaerit Latinus, cur dictum est a Patre procedit, et non a solo Patre, si excludendus erat Filius? Respondebit homo neque graecus neque latinus, sed christianus et simul in Christo latinus et graecus, non fuisse hoc neque in constantinopolitana neque in nicaena synodo definitum, neque illud illis curae fuisse, ut magis Spiritus a Filio emanare aut scaturire, quam procedere diceretur. Premebantur maioribus incommodis patres illi, qui non ob eam causam in synodo convenerant. Qui procedere ex Patre et ex Filio fatentur Spiritum sanctum, eundem quoque fatentur Deum. Arrius et Macedonius Spiritum sanctum esse negabant Deum: ideo nulla erat circa processionem Spiritus sancti quaestionis occasio.

Sed cur dictum est a Patre, et non est tunc adiectum a Filio, videamus: quod facilius videbimus, si prius ostenderimus in breviore et pressiore apostolorum symbolo, omnia quae in nicaena interpretatione sunt, contineri: et Christi fidelibus satis esse, in quo quisque baptizatus, vere christianus est, in cuius fide omnes salvantur, et veniunt ad Christum. Ipsum igitur tibi nomen symboli indicat quale est, cuiusmodi se esse velit breve, concisum, pressum, et littera non interpretatio, nomen non definitio, signum quod multa significet et plus re ostendat quam verbo prae se ferat. Sic extitisse videtur apostolorum symbolum quasi signum, quo se quisque christianus homo signare debet, de quo dictum est: fac mecum Domine signum in bonum. Et quo signatum est super nos (ut ait propheta) lumen vultus Dei, qui singulariter in spe constituit nos. Fides enim sine spe esse non potest; quia fides, teste Paulo apostolo, est substantia rerum sperandarum. Et ideo dixit, corde credi ad iustitiam, ore autem confessionem fieri ad salutem. In symbolo autem nihil est aliud, quam credulitas et confessio. Credere itaque et fidei et spei est, sed in primis caritatis. Impossibile est enim credere in Deum sine caritate: quia credere in Deum, est cre-

Paulus

dendo amare Deum, et illi debitum latriae honorem exhibere. Sunt igitur in symbolo quaedam in quae credimus, quaedam quae credimus, quaedam quibus credimus. Id in quod creditur, solus Deus est Pater, Filius, Spiritus sanctus, eiusdem essentiae Trinitas. Id quod credimus, Dei opera sunt, et miracula effectus divinae omnipotentiae; velut incarnatio, et resurrectio. Id cui credimus, sancta ecclesia catholica est, in evangelio Christi et sacris scripturis docens veritatem.

Omnis credendi ratio in symbolo apostolorum continetur in quo nihil omissum est: qui enim credit in Deum Patrem omnipotentem, credit eum visibilia et invisibilia creare potuisse. Sed et qui dicit se credere in Iesum Christum filium Dei unicum, dominum nostrum, dixit quod dici debuit, quia virtute huius credulitatis et fidei dixit omnia, quae postea contra haereticos sunt declarata: videlicet ex Patre natum, et Deum de Deo, et lumen de lumine, et Deum verum de Deo vero, et genitum non factum, et consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt: hoc enim ipso quod dico me credere in Filium Dei, dico ipsum Deum, in quem credere non possem si non esset Deus: nam si non esset Deus, non diceretur, credo in Filium, sed credo Filium tamquam existentem, aut credo Filio tamquam dicenti. Dico ergo me credere in Filium, quia credo ipsum esse Deum: et quum certum sit non esse nisi unum Deum, non potest Filius alius esse Deus a Patre, nec potest esse nisi coaeternus et consubstantialis Patri: per quem omnia facta sunt, quia sine verbo et sapientia Dei nihil factum est. Pari pacto quum dicitur in apostolorum symbolo: credo in Spiritum sanctum, nec aliud adiicitur, piae et catholicae menti sat est: quum enim dico me credere in Spiritum sanctum, eadem ratione dico ipsum Deum. Si Deus, ergo dominus, ergo vivificans, ergo procedens, quia non est genitus: si enim ipse quoque esset genitus, Filius non diceretur unus et unigenitus: et quum sit idem Deus cum Patre et Filio, et utriusque Spiritus, ideo cum utroque simul adorandus et glorificandus est; quia ipse est is Spiritus, qui loquutus est per prophetas ubique dicentes: haec dicit dominus Deus, idest Spiritus sanctus, qui missus est in corda prophetarum. Sed redeamus ad propositam quaestionem.

Cur dictum est in interpretatione symboli nicaeni Spiritum sanctum procedere a Patre, neque expressum est etiam a Filio? Facile

possumus ex iis, quae diximus, animadvertere additum esse in symbolo Spiritum sanctum a Patre procedere, non ut declaretur eum ita a Patre procedere, ut non procedat ex Filio: poterant enim dicere patres illi, quod a solo Patre procedit, sicut de Filio dicitur quod a solo Patre est; sed hoc non dixerunt, quia Filium excludere non debuerunt, quia Spiritus sanctus utriusque Spiritus est, et ab utroque. Verum quia Macedonius una cum Arrio Spiritum sanctum creaturam, non Deum, esse dicebat, argumentabaturque quod si Spiritus sanctus dicendus esset Deus, ipse quoque existens ex Patre non ut creatura, sed ut Deus, necessario dicendus esset Deus, et sic duo Filii in divina essentia, non unus Filius unigenitus; huic stultitiae occurrere volentes sancti patres Spiritum sanctum dixerunt a Patre procedere, non autem genitum esse; ut Macedonius intelligeret Spiritum sanctum dici posse Deum, et personam distinctam a persona Filii, quia Filius genitus esset ex Patre, Spiritus sanctus vero non genitus sed procedens. Nihil ultra quaesitum aut dubitatum est, quia inclusus est Pater, non est exclusus Filius, a quo, et per quem est etiam Spiritus sanctus. Sed hoc ipso etiam quod a Patre procedere dicitur, Deus esse indicatur; quia procedere personae divinae est, non creaturae. Dictus est ergo in expositione symboli dominus, quia ab haereticis putabatur servus. Dictus est vivificans, quia Deus, et non creatura: creaturae enim est vivificari, non vivificare. Et procedere a Patre, et cum Patre et Filio adorari, et glorificari, et loqui per prophetas: quae non sunt creaturae sed Dei. Haereticorum igitur procul dubio impietas ampliando et exponendo symbolo causam dedit, non ulla de Spiritus sancti controversia processione, sed de ipso prorsus Spiritu sancto, quem haeretici a divinitate excludere conabantur.

Expositio itaque prima illa nicaeni symboli pie statim a Latinis excepta est. Nam Silvestro pontifice subinde vita functo, Marcus pont. successor eam alta voce post evangelium cantari iussit. Eandem deinde expositionem symboli in constantinopolitano concilio diligentius fusiusque retractatam atque recognitam pari veneratione et fide susceperunt Latini. Damasus enim pont. illam similiter decantari iussit, ut supra diximus, nihil prorsus addens aut minuens, sed sicuti fuerat in constantinopolitana centum quinquaginta patrum synodo recitata. Legebatur enim in ea parte, et in Spiritum sanctum dominum et vivificantem, qui a Patre pro-

Marcus PP.

Damasus PP.

cedit, quamvis dubium non esset apud Latinos quod Spiritus sanctus a Filio etiam procederet: sicut nunc legitur in eodem symbolo quod Filius sit Deus verus de Deo vero, id quod de Spiritu sancto in symbolo non legitur, et tamen dubium non est quod Spiritus sanctus Deus verus de Deo vero dicatur. Sed et Leo tertius romanus pont. post annos fere quadringentos, hoc ipsum nicaenum symbolum, sive magis (ut diximus) expositionem symboli, Romae post altare beati Pauli abaco argenteo insculptum habuisse, et post obitum testamento legasse legitur: pro amore (ut ipse dixit) et cautela fidei orthodoxae. In quo symbolo in Spiritus sancti processione de solo Patre mentio fiebat, his verbis: et in Spiritum sanctum dominum et vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre et Filio coadorandum et conglorificandum. Verbum enim verbo redditum fuerat in eo transferendo, quod sincerior integritas videretur. Et tamen ante ea tempora Hilarius, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Leo primus pont., Spiritum sanctum procedere a Patre et Filio aperte dicentes, non solum columen doctrinae et sanctitatis sibi in catholica ecclesia vindicaverant, sed etiam symbolum cum adiecta particula decantabatur: quia iam Athanasii symbolum trecentis ante Leonem tertium annis a Iulio pont. exceptum fuerat, et publice in diebus dominicis inter horas canonicas cantari iussum, quod in hanc usque diem observatur. Quod symbolum, quum Spiritum sanctum a Patre et Filio procedere contineat, non ob id illi, quod insculptum fuerat in abaco argenteo, contrarium existimatum est, quod venerationis et antiquitatis causa a Leone pont. observabatur. Sed redeamus ad tempora secundi concilii.

Leo III.

Iulius I.

Graeci igitur, et qui in oriente catholici dicebantur, non solum propter infestantes haereticos, sed quia ipsi inter se contradicendi studio dissidebant, nova quotidie symbola sive symbolorum expositiones efferebant: neque deerant ex iis etiam, qui catholici censebantur, qui post confirmatam nicaenam synodum dicerent, sentiendum quidem et fatendum esse Filium Patri ὁμοούσιον, sed non esse in symbolo apponendum. Interim quum summa fide et veneratione in occidente a romana ecclesia nicaenum symbolum haberetur, in Graecia urgebatur et fluctuabat. Nestorius constantinopolitanus antistes novam adhuc in symbolo fidem exigens, non dicendum esse Mariam virginem θεοτόκον, idest dei-

param, sive Dei matrem, clamitabat; et auferendam ex symbolo postulabat illam particulam *de Spiritu sancto ex Maria virgine.* Caelestinus ergo romanus pont. max. convocata apud Ephesum tertia synodo ducentorum episcoporum, annis circiter centum et quinque post primam nicaenam synodum, Nestorium et Pelagianos cum Nestorio sentientes damnavit, Cyrillo alexandrino episcopo viro sanctissimo et doctissimo catholicas partes praecipue profitente, et nicaenum symbolum acerrime contra omnes haereticorum calumnias defendente. Et ne nova ulterius symbola proferreutur, cessarentque simul ex catholicis scioli et erudituli, et altera ex parte insolentes haeretici nova confingere, promulgato anathematis decreto, sancitum est, nemini deinceps licere quicquam ex nicaeno symbolo demutare, sed sicut a centum quinquaginta patribus in urbe constantinopolitana publicatum fuerat, ita inconcussum et incorruptum servari debere. Quod edictum anathematis ex actis tertiae huius synodi pro graeco schismate superius adductum est. Quod idem hoc loco pro latina assertione afferentes contra graecum schisma reflectemus, et adversarios suis, ut dicitur, chartulis irretitos confutabimus. Edictum ergo anathematis eiusmodi est. « Decrevit sancta synodus, nemini aliam fidem proferre, aut com-„ ponere licere, praeter eam, quae a sanctis patribus in nicaena con-„ gregatis in Spiritum sancto determinata est: qui vero audent „ aliam fidem componere, aut inducere, aut proferre, volentibus „ converti ad cognitionem veritatis sive ex graeca gentilitate, sive „ ex iudaismo, sive ex quavis haeresi, episcopi episcopatu, clerici „ clero priventur, laici anathematizentur. „ Quis adeo impos mentis est, ut dicere audeat Latinos Spiritum sanctum a Filio etiam procedere asserentes, aliam fidem componere aut afferre, quum toties legatur missus a Filio, et in nomine Filii, et etiam testimonio primae synodi, emanans a Filio?

Caelestinus PP.

Ceterum ut ex temporum et rerum ratione melius veritatem inspiciamus, sciendum est, post hanc tertiam ephesinam synodum, quae cum retro actis synodis nihil de sancti Spiritus processione particulari definitione decrevit, nisi ut a Patre Spiritus sanctus procedere intelligeretur, quia non esset genitus a Patre quemadmodum Filius, successisse constat quartam in Chalcedone annis viginti post tertiam, quae patrum numero cunctas excessit, sexcenti enim et triginta congregati sunt contra Eutychen et Dioscorum haereticos, qui unam

dumtaxat in Christo naturam, eamque divinam asserebant. Congregatam autem fuisse hanc synodum ex historiis constat sub Martiano imperatore et Leone primo pontifice maximo anno gratiae quadringentesimo quinquagesimo primo. Haec quatuor concilia a Latinis velut quatuor evangelia recepta sunt. Post annos deinde centum et duos, quinta universalis synodus apud Constantinopolim celebrata est sub Iustiniano imperatore, suadente Vigilio pont., contra Theodorum, et Anthimum nestorianae perfidiae sectatores, asserentes aliud esse verbum Dei, aliud Christum; et Mariam virginem minime dici debere θεοτόκον, idest Deiparam, sive Dei genitricem, contra decretum tertiae synodi: quae res Vigilio pontifici male cessit, instigante Theodora augusta, quae usque adeo favit Anthimo, ut eo Romam a Theodora misso, concitata contra Vigilium pontificem romani populi seditione, caesus et captus Vigilius Constantinopolim perductus sit, qui et carcerem et plagas pati maluit, quam iuste a quinta synodo condemnatos restituere.

In hac itaque quinta synodo, quae a Graecis et a Latinis inter universales habita, et honorificentissime excepta est, quum multa iam a diversis sacrae doctrinae scriptoribus tradita essent, quae non omni ex parte rectam fidem saperent, in quibusdam eorum assertionibus improbati sunt. Inter quos in primis Origenes, et Eucranor, et Didymus: e contra approbati sunt doctores, tam latini, quam graeci, quorum scripta in ea synodo recitata fuerant, et rectae fidei consona iudicata. Hi nominatim decreto expressi sunt, Athanasius, Hilarius, Basilius, Gregorius nazianzenus, itemque nyssenus, Ambrosius, Augustinus, Theophilus, Cyrillus, Chrysostomus, Leo, Proculus, quos omnes romana ecclesia amplexa et venerata est; Graecia vero inter graecos auctores etiam schisma aliquando excitare voluit, ut paulo post ostendemus. Huius autem synodi extat decretum illud. Ἀκολουθῶμεν κατὰ πάντα τοῖς ἁγίοις πατράσι καὶ διδασκάλοις τῆς ἐκκλησίας Ἀθανασίῳ, Ἱλαρίῳ, Βασιλείῳ, Γρηγορίῳ τῷ θεολόγῳ, Γρηγορίῳ τῷ Νύσσης, Ἀμβροσίῳ, Αὐγουστίνῳ, Θεοφίλῳ, Κυρίλλῳ, Ἰωάννῃ τῷ Κωνσταντινουπόλεως, Λέοντι. Πρόκλῳ, καὶ δεχόμεθα πάντα ὅσα περί τε τῆς ὀρθῆς πίστεως καὶ πρὸς τὸν τῆς τῶν αἱρετικῶν πίστεως ἔλεγχον ἐξέθεντο. *Sequamur per omnia sanctos patres et doctores ecclesiae, Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium theologum, Gregorium nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Cyrillum, Iohannem constantipolitanum antistitem* (*idest*

Chrysostomum) Leonem, Proclum, et recipiamus omnia quaecumque pro recta fide contra haereticorum fidem exposuerunt.

Sexta deinde synodus universalis post quintam annis centum et septemdecim, in eadem Constantinopolis urbe convocata est, anno Christi sexcentesimo et octogesimo, insurgente Monothelitarum factione, quae (ut ipsum nomen indicat) unam tan tum in Christo voluntatem esse dicebat. A prima itaque nicena synodo usque ad hanc sextam interfuere anni trecceti et quinquaginta quinque: intra quae tempora multae synodi celebratae sunt, quae οἰκουμενικαὶ, quasi ex toto orbe terrarum congregatae appellatae non sunt, sive quia ex his nonnullae in Africa, et in occidente suot convocatae, sive potius quia non principaliter contra haereticos pro fide, sed ad constituendos ecclesiasticos canones indictae fuisse videntur. Nam praeter primam illam synodum, quae Romae ante nicaenam contra Novatum habita est, ancyrana synodus praecessisse nicaenam legitur, et carthaginiensis, atque africana (quarum utraque circiter ducentos triginta patres in consensu habuit) ephesinam hanc tertiam de qua supra diximus, tempore praecesserunt: nihil inter haec tempora, intra quae usque ad ephesinam tertiam synodum tot extitere concilia, tot scitis et doctis patribus intervenientibus, de processione sancti Spiritus constitutum particulari decreto comperio. Hoc tantum ex diversis actibus synodorum, tum ex dictis saoctorum coniicio, hanc sub illis temporibus de Spiritu sancto assertionem, quasi verbo non re diversa proferentem, in manu piae intellectionis atquae interpretationis fidelium relictam esse, atque ob id antiquos patres synodalibus decretis eo tempore nihil constituisse: satis enim putaverunt esse, ut servata in Patre auctoritate originis et dignitatis, Filius genitus, et Spiritus sanctus procedens esse intelligeretur, et Spiritus sanctus utriusque Patris, et Filii Spiritus, et ab utroque et a Patre per Filium esse ab omnibus passim theologis diceretur.

Enimvero in tertia synodo, cui etiam interfuit Theodoretus, qui solus visus opinari, neque ex Filio, neque per Filium Spiritum sanctum habere subsistentiam, quod quidem, ut ab eo prolatum est, tertia ipsa synodus conticuit, neque quicquam in ea re statuit. Qui vero Theodoretus novit inter Theodoretum et Cyrillum controversiam extitisse, oorit etiam in quarto coocilio chalcedoneosi postea fuisse Theodoretum, et reliquis patribus consensisse in Eutychete damnando, eiusque etiam

sententiam de rebus fidei magna totius synodi gratulatione, et applausu fuisse exceptam. Neque enim de Spiritu sancti processione per Filium quaestio tum movebatur, nec in priore opinione stetisse Theodoretum aperte constabat, quem tum et in concilia admissum, et testimonio etiam et favore summi pontificis Leonis ornatum fuisse memoriae proditum est; nulla, ut dixi, habita discussione quidnam de sancti Spiritus a Filio processione sensisset, qui catholice se sentire profiteretur. Mutatur enim saepenumero sententia: et si quandoque fallitur mens in bonis, voluntas tamen minime aberrat. In ipsa enim haereticorum damnatione dum ipsa quarta synodus haberetur, et Theodoretus sententiam rogaretur, anceps fuit animi, mox egregie ceteris patribus consensit, eiusque sententia: magna est totius sacri consensus excepta laetitia. Sed enim haec controversia ab haereticis, ut dixi, tum non movebatur, contra quos satis erat proferre, ut Spiritus sanctus non creatura, sed Deus diceretur.

Ea propter sanctus Cyrillus cum Hermia de ea re postea disserens, se se paucis absolvit, dicens: τί νος γὰρ ἴδιον, φησὶν, εἶναι φαμὲν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον; πότερον δὴ μόνου τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς ἢ γοῦν καὶ τοῦ υἱοῦ, ἢ καὶ ἀνὰ μέρος ἑκατέρου καὶ ἀμφοῖν ὡς ἓν ἐκ πατρὸς δι' υἱοῦ λέγεται; ἀποκρίνεται δὲ ὁ Ἑρμείας· οὕτως ἔγωγε φημὶ ὦ ἑταῖρε· καὶ ὁ ἅγιος πρὸς αὐτὸν, ὀρθῶς. *Cuius igitur proprium esse dicimus Spiritum? sanctum utrum solius Dei et Patris, an vero etiam Filii? an secundum partem utriusque, et simul amborum? tamquam unus Spiritus ex Patre per Filium, propter identitatem substantiae Patris videque et Filii dicitur. Respondit autem Hermias inquiens: sic ego, o amice, sentio. Cui dixit Cyrillus, recte iudicas.* Quia igitur idem re putabant dicere Spiritum sanctum procedere a Patre per Filium, et procedere a Patre et Filio, servata auctoritate originis in Patre, et unitate principii in utroque, inter occidentalem et orientalem ecclesiam nulla tunc fuit dissensio, Latinis pie interpretantibus Graecos, et Graecis pie interpretantibus Latinos: praesertim quod, ut supra diximus, iam in nicaena prima synodo dictum fuerat Spiritum sanctum a Filio emanare sive scaturire. Deinde in ea re latini auctores, et quasi fugientes diverticula, et simplicem fidem afferentes, ne tot vocabulis divinarum personarum proprietates confunderent, libere Spiritum sanctum a Filio etiam procedere sano sensu professi sunt, inter quos fuit Augustinus Hilario posterior, et Ambrosii etiam discipulus, qui in

illis elegantissimis libris, quos de Trinitate quindecim edidit, nihil, quantum humanae menti fas est, omisisse videtur; in quibus passim a Filio Spiritum sanctum procedere docuit: non solum per ea tempora non contradicentibus Graecis, sed recipientibus et probantibus, ut ostensum est, praeclaras et sanctas doctissimi viri lucubrationes.

Tempore igitur huius sextae synodi, annis fere trecentis post Augustinum, quum maxima pars orientalium ab ecclesia romana dissideret, Gregorio patriarcha constantinopolitano, et Macario antiocheno episcopo, unam tum in Christo voluntatem et operationem asserentibus, Agatho pontifice missis ad Constantinum eius nominis quartum imperatorem legatis obtinuit, utpote a catholico et pio principe, ut contra hos haereticos synodus constitueretur, quam christianissimus princeps sancto pontifici et etiam miraculis claro obtemperans, intra sui palatii aedes congregavit, ducentos atque octoginta novem episcopos convocans. Erat tum Agathonis papae grandis apud hunc principem auctoritas non solum propter vitae potius quam nominis sanctitatem, sed quia constans fama increbuerat leprosum hominem fuisse ab hoc pontifice admoto osculo liberatum. Igitur in frequenti synodo ex bibliotheca constantinopolitana iussu imperatoris graecorum et latinorum sanctorum libri allati sunt, et longa altercatione et disceptatione habita, Gregorius cum rationibus, tum sacrorum auctoritatibus victus, mutata in melius sententia romano pontifici et catholicae fidei cessit: Macarius vero in sua haeresi obfirmatus et pertinax, anathematis nota inustus est, et privatus episcopatu. In hoc concilio, quod et propter multitudinem episcoporum et ob praesentiam principis clarissimum habitum est, latini auctores adducti, perlecti et comprobati sunt. Ii enim, quibus inter ceteros maxima fides in ecclesia esset adhibenda nominati sunt et graeci et latini: graeci quidem in primis Cyrillus, Athanasius, Basilius, Gregorius, Dionysius. Latini vero, praeter ceteros, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus: iam enim antea in quinta synodo, ut paulo ante diximus, latini auctores recepti fuerant una cum graecis, sicut ex iis nonnulli etiam conciliis interfuerant.

Agatho PP.

Igitur, ut redeamus unde discessimus, convenere unanimes in Spiritu sancto, in hac etiam sexta synodo, Latini cum Graecis, neque tamen Latini a Graecis iudicati sunt anathematis rei, ob id quod Spiri-

tum sanctum procedere a Filio faterentur, immo vero latini auctores, qui hoc et sentiunt, et aperte pronunciant, in hac synodo contra Macarium, et omnem Monotheltiarum sectam allati et comprobati sunt. Adde quod dimissa synodo, Iohannes Portuensis episcopus, sedisque apostolicae legatus, adstante imperatore et patriarcha, in praeclara illa sanctae Sophiae basilica (quae nunc proh dolor! profano cultu frequentatur) latinis caerimoniis missae solemnia celebravit. Nunc, si diis placet, graeci nostri sacerdotes doctiores et sanctiores suas aediculas contaminatas et pollutas putant, ubi presbyter catholicus in his celebrat, aut laicus etiam orat. Post ea tempora tot sancti viri et docti in orientalibus ecclesiis versati sunt, qui omnes Latinorum assertionem recte interpretari, potius quam damnare voluerunt. Quem enim ex tot Graecis reperias, in quo sanctitatis et doctrinae aliquod specimen enituerit, qui hac de re contra Latinos scripserit? An vero quo tempore in oriente vigebant iidem, oratores atque theologi deerant, qui contra male in fide sentientes scripta componerent? Ioh. Portuensis

Sed ad septimam synodum veniamus, quae trecentorum et sexaginta septem episcoporum consensum in eadem Nicaea Bithyniae urbe habuisse legitur, anno christianae salutis septingentesimo et octogesimo septimo, post primam nicaenam synodum annis quadringentis et sexaginta duobus, sedente Hadriano pontifice, et Constantino eius nominis sexto cum matre Irene imperium Graecorum tenente. Ante quod tempus, si certa memoria non extaret, certissimis coniecturis deprehenditur particulam illam *a Filioque*, in symbolo apud occidentales ecclesias auctoritate romanorum Pontificum locum obtinuisse, non solum quia id sanctorum theologorum latinorum ante id tempus scripta comprobant, sed quia symbolum Athanasii, qui nicaenae symbolo interfuerat, a Iulio pontifice, qui post Silvestrum fuerat, iam, ut supra diximus, erat exceptum. Tria namque symbola catholica veneratur ecclesia: primum illud apostolorum concisum et simplex in sinceritate fidei: alterum nicaenum in constantinopolitana secunda synodo ampliatum in defensionem catholicae veritatis: tertium Athanasii ad doctrinam verae fidei, et quasi oraculum sanctissimae Trinitatis: neque tamen illud umquam ab antiquis Graecis est improbatum, qui postea saniore studio, et sanctiore caritatis officio eumdem in eadem quaestione intellectum, in hac septima synodo interpretati sunt; et quod Latini dicebant a Filio, Graeci per Filium dicere

voluerunt, quasi unum idemque spirandi principium in Patre et Filio constituentes, sed originis et auctoritatis ordinem Patri reservantes, id quod Latinorum etiam opinio ubique explicat. In hac itaque septima synodo, trecenti illi et septuaginta septem patres in exponendo adhuc ea in parte symbolo nullum anathema sunt veriti; et quum de recipiendis imaginibus sacris, de clero, et monasteriis, tam virorum quam feminarum, multae constituissent, in tertia actione de processione Spiritus sancti tractatum est, et decretum: τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς διὰ τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι. Idest *Spiritum sanctum a Patre per Filium procedere*: proferente Tarasio constantinopolitano antistite, πιστεύω εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸ ἐκ πατρὸς δι' υἱοῦ ἐκπορευόμενον. Id est *credo in Spiritum sanctum, qui ex Patre procedit per Filium*. In huius septimae synodi prima actione, quasi professio quaedam explicata est: dum ante omnia in ea dicitur, inter sanctos doctores nullam inventam esse discordiam, sed omnes in eandem sententiam idemque praedicare atque docere. Praesidebant in hac synodo missi a sede apostolica Petrus monachus presbyter cardinalis, et Petrus alter abbas sancti Sabae, viri docti, qui interpretationem approbaverunt, et latinis graecisque theologis utrisque doctissimis et sanctissimis viris non solum doctrina, sed operibus, et miraculis longe clarissimis consonam exceperunt.

Sunt inter Latinos recentiores historiographos, qui dicant in hac septima synodo decretum fuisse, ut Spiritus sanctus a Patre et Filio procedere diceretur. Ego ad Graecos scribens, id tantum affero, quod ex Graecorum scriptis mihi constat, et de Spiritu veritatis loquens, sequor nudam veritatem. Illud enim decernere voluisse hanc synodum visum est, ut in eundem sensum tenderet, a Filio, et per Filium dicta processio. Quod si in hac septima synodo, quae et celebris et recepta apud omnes Graecos est, licuit προσθήκην idest additionem facere symbolo, eamque synodalibus libellis edere, ut diceretur *credo in Spiritum sanctum, qui procedit ex Patre per Filium*, cur licere non potuit Latinis ut dicerent *a Filio*, ubi Graeci dixere *per Filium*? Utraque profecto additio est. Cur apud imperitos tanta fit exclamatio contra προσθήκην *a Filioque*, et nihil dicitur contra προσθήκην *per Filium*? At, inquiunt, nos nostram προσθήκην non ponimus in symbolo: hanc tu in symbolo ponas, aut non ponas, nihil ad fidem

refert: modo ne aliter credas, et dicas Spiritum sanctum procedere a Patre non per Filium. Sane igitur utraque προσθήκη expositionis est, non novae aut alterius fidei. Sed videamus tandem hoc loco, quo tempore, et qua occasione primum Graeci ob προσθήκην contra Latinos invecti sunt.

Dicam breviter, et omnem historiam enarrabo: nobis enim disserentibus de Spiritu sancto, qui ex promissione Filii nos docet omnem veritatem, nihil prohibet, ut undecumque habeatur veritas, ostendatur: praesertim quum non sint veriti quidam ex graeco schismate ex coniectura et nominis similitudine confingere historiam, et summa quidem cum impudentia asserere particulam illam *a Filioque* tempore Leonis pont. suasu Caroli imperatoris in symbolo fuisse coniectam. Qui quam supino errore labantur, quam perniciose caeci caecos ducant, facile ipsi possunt animadvertere, modo non effugiant doceri, quod nesciunt: non solum enim hoc in ecclesiasticis historiis, quae a Latinis habentur, nusquam legitur; sed si extaret aliquid quod legi posset, id ut confictum et falsum veritas exploderet. Quo enim tempore excepta et approbata fuerit particula illa in occidentalibus ecclesiis, facile si nulla extaret assignati temporis fides, id vel ex hoc ipso posset percipi, quod Athanasii symbolum sub Iulio pont. non multis annis post nicaenam synodum in occidentalibus ecclesiis est decantatum, cuius symboli fidem atque doctrinam, velut delapsam e gremio Trinitatis latini simul et graeci theologi sunt sequuti. Quem enim alium magis sequi debuerunt, quam eum, qui in faciem Arrio haereticae impietatis principi dictante Spiritu sancto, est adversatus?

Verum omnis error praefatione aliqua veritatis obtenditur: deceptionis enim huius hallucinatio apud homines non solum sacrarum scripturarum, sed historiae et rerum gestarum ignaros inde exorta est, quod in quibusdam latinis annalibus, quae de historiis ecclesiasticis inscribuntur, reperitur sub Leone quidem pont. eius nomine primo, annis circiter centum et decem post nicaenam synodum, ante vero Caroli tempora, et Leonem tertium, quem Carolum subsequutum dictitant, annis non minus trecentis et sexaginta, toletanum concilium contra arrianas, nestorianas, et macedonianas ad ea usque loca sparsas pestes congregatum esse: quo tempore chalcedonensis quarta synodus, ut supra ostendimus celebrata est. In toletano igitur concilio tempore Leonis eius nominis primi pont. ita contra haereticos de-

cretum legitur. " Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, „ et in Filium, et in Spiritum sanctum „. Et mox sequitur " et unam „ esse divinae substantialitatis unitatem: Patrem non esse ipsum Filium, sed habere Filium, qui Pater non sit; Filium non esse Patrem, sed Dei Filium, de Patris esse natura: Spiritum quoque sanctum esse paracletum, qui non Pater sit ipse, nec Filius, sed a „ Patre Filioque procedens. Est ergo ingenitus Pater, genitus Filius, „ non genitus Spiritus sanctus, sed ab u troque procedens „. Haec sumpta ex Athanasii symbolo sunt, contra haereticos nestorianum symbolum prae se ferentes.

Colligitur enim ex actis tertiac synodi Nestorium etiam sensisse: τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον μήτε ἐκ τοῦ υἱοῦ, μήτε διὰ τοῦ υἱοῦ, τὴν ὕπαρξιν ἔχον, id est *Spiritum sanctum neque a Filio, neque per Filium, habere subsistentiam*. Reprobatus autem est dictante Cyrillo viro sanctissimo atque doctissimo, qui in ea epistola, quam adversus eundem Nestorium conscripsit, cuius principium est, τοῦ σωτῆρος ἡμῶν λέγοντος, sic ait: πνεῦμα γὰρ ἀληθείας ὠνόμασται καὶ ἔστι Χριστὸς ἡ ἀλήθεια, καὶ προχεῖται παρ' αὐτοῦ, καθάπερ ἀμέλει καὶ ἐκ τοῦ πατρός. *Spiritus*, inquit, *veritatis dicitur, et Christus est veritas, et ab eo effunditur, sicut ab ipso Patre*. In hac itaque tertia synodo non solum damnatus Nestorius est, sed haec ipsa Cyrilli epistola publico approbata decreto est: quod quid aliud est, quam approbatam esse romanae et universalis ecclesiae veram de sancti Spiritus processione sententiam. Neque tamen hoc loco pertinacior quispiam contenderit, aliud esse effundi, aliud procedere: quia idem ipse Cytillus utroque vocabulo promiscue utitur: ait enim in exposione symboli de Spiritu sancto loquens: προχεῖται μὲν, ἤγουν ἐκπορεύεται, καθάπερ ἀπὸ πηγῆς τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς, idest *effunditur sive procodit, velut a fonte Dei et Patris*. Cyrilli autem merito fuit tanta auctoritas in Christi ecclesia, ut quum in quinta synodo (ut supra retulimus) multi approbati sint, tam Latini, quam Graeci, de Cyrillo in prima eius synodi actione sic dictum sit: πιστεύω μὲν ὡς ἡ τοῦ Κυρίλλου ἀϊδία μνήμη πιστεύει· καὶ ὁ μὴ τούτῳ πιστεύων, ἀνάθεμα ἔστω. Idest *credamus sicut Cyrilli aeterna memoria credit; et qui huic non credit, anathema sit*.

At vero tempore etiam Gregorii eius nominis primi pontificis, qui multis annis post Leonem in pontificatu sedit, quem Graeci Gregorium dialogum nuncupant, ob conscriptos ab eo dialogos, in profes-

sione fidei, quae per Leandrum episcopum Gothis eo tempore ad fidem catholicam versis iussu Gregorii papae conscripta est; cuius professionis initium hoc est, *quamvis Deus princeps populorum* etc. iu qua ubi ad Spiritum sanctum ventum est, sic legitur: " sanctus „ quoque Spiritus confitendus a nobis et praedicandus est, a Patre „ et Filio procedere: et cum Patre et Filio unius esse substantiae, „ et tertia in Trinitate persona„. Sub his ergo duobus optimis sanctissimisque pontificibus Leone et Gregorio, non solum Spiritum sanctum a Patre et Filio procedere contra haereticos est declaratum, sed ipsi quoque in suis lucubrationibus idem scripsere. Uterque tamen horum pontificum a graeca eo tempore sanae et orthodoxae mentis ecclesia in sanctos relati sunt, iisque dies festi cum divinis officiis instituti, qui etiam in hanc usque diem per totam Graeciam anniversario cultu servantur. Videant ergo et discant, quam parum sibi constet graeci schimaticis sapientia, dum inter sanctos censet et refert, non solum graecos, sed etiam latinos patres, qui ea censuerunt, instituerunt, et scripserunt, quae nunc velut haeretica, et ab orthodoxa fide aliena, respuunt et refellunt. Discite ergo, Graeci fratres, si minus ex latina, saltem ex graeca historia dissensionis huius occasionem, et quibus causis, quo duce, in quam foveam cecideritis, animadvertite. Procul dubio enim haec dissensio, non a Carolo imperatore, aut Leone III. pontifice, quod nusquam legitur, ortum habuit; sed inclinante in dies magis magisque Graecorum doctrina, post scelus Photii magis errecta est, sub quo Latinis imputari coepit et dari crimini, quod Spiritum sanctum a Patre et Filio procedere affirmarent. Origo calumniae coepit ex grandi scelere, quae facilius apparebit, si graecam ex constantinopolitanis chronicis, quas nunc habemus in manibus, et Simeonis, quem Metaphrasten nominant, historiam, una cum ipsa octava synodo contexerimus. Sim. Metaphrastes.

Igitur quo tempore Michaël imperator constantinopolitanum tenebat imperium, Vardam nescio quem, qui se Caesarem appellabat, eius, ut fertur, avunculum summae apud se auctoritatis habuit: qui violato humanarum et divinarum legum iure, nefaria libidine percitus, legitimae uxori catholicae ac praestanti feminae nurum propriam superinduxerat, priore ac legitima expulsa: quod scelus sanctus vir Ignatius aegre, ut par erat, perferens, ubi saepius Vardam admonuisset, sanctis et piis monitis parere recusan-

tem, postremo eum a communione expulit, et anathematis etiam nota taxavit. Qua ex re indignatus Varda, plenus incestu, et sui impotens, suggerente Photio conscio et assertore sceleris, Ignatium, qui decem et amplius annos sedem constantinopolitanam summa aequitate et religione moderaverat, confestim expulit, et paedore carceris et fame ac tormentis crudelissime vexavit; et Photium Ignatio, virum sceleratissimum viro sanctissimo, subrogavit. eam rem indignissime ferens Nicolaus pont. max. eius nominis primus, Photium confirmari se primo a sede apostolica petentem, et Michaëlem imperatorem pro Photio intercedentem non sine iusta indignatione reprehendit: et nisi confestim pulso Photio, restitueretur Ignatius, Photio censuram anathematis indixit. Tum Photius, favente imperatore Michaële, contra Nicolaum pontificem cornu erexit: et tunc primum Nicolao pont. obtegendi sceleris praefationem quaerens, Latinis haeresim obiicere ausus est, quod ab iis contra nicaeoum symbolum Spiritus sanctus a Filio procedere diceretur, et quod in divina essentia duo principia constituerent; quo nihil dici potest absurdius, et magis adversum catholicae veritati.

Habebat secum magnos testes haec accusatio, incestuosum Vardam, et temuleotum imperatorem, qui *ebriosi* etiam cognomentum meruit. Eo potissimum tempore per universam Graeciam (ut est hominum natura proclivis in malum) labes ista pervagata est. Interea Varda Caesar simul ob violatam nurum incesti, simul ob expulsum sanctum virum Ignatium sacrilegii reus, Deo utriusque sceleris vindice, poenas luit, interfectus a Basilio, et ab imperatoriis militibus minutatim in frusta concisus: in Michaëlem enim imperatorem nefaria et crudeli ingratitudine conspiraverat, quam ob causam Michaël Basilium consortem imperii fecit, eiusque capiti adstante frequenti populo diadema iussit imponi, et duplici sella imperatoria processit, publicarique in foro alta voce mandavit, id se fecisse, ut meritas Basilio gratias referret, eius se opera in humanis servatum asserens, quod Varda, praeter iam dicta scelera, affectasset tyrannidem, et de se interficiendo cum multis constituisset. Basilius deinde una cum Michaële mensibus sexdecim imperavit, inter quos subinde dissensione exorta, iratus Michaël Basilium consortio abdicavit, et imperatoriis insignibus exauctoravit. Sed ne Michaëlis etiam scelus impune trans-

iret, qui adhuc Photio favebat, in crapulam et ebrietatem, in quam saepe incidere consueverat, quadam die largioribus poculis prolapsus, a militibus occiditur, et summa cum ignominia amputatis manibus, et effusis visceribus distrahitur: cuius necis conscius fuisse fertur Basilius, qui ei in imperio successit, quod annis postea decem et novem tenuit.

Inter haec Photius perditis assertoribus suae temeritatis, patriarchali sede iussu Basilii expellitur: restituiturque tandem vir sanctus Ignatius, qui interea tot iniurias et tormenta toleraverat, sine intermissione semper orans, et agens gratias Deo, quod ob persecutionem, quam propter iustitiam patiebatur in terris ex promissione Christi copiosam mercedem expectare posset in caelis. Basilius ergo hac in parte iustus atque catholicus, pulso Photio neophyto, et Ignatio veterano Christi milite restituto, misit ad Nicolaum pontificem legatos: quid egisset per eos nunciavit, dixitque se, quod suum erat, in restituendo Ignatio mandatis sedis apostolicae obtemperavisse: iudicium vero in Photium reservasse romano Pontifici. Sed ante quam legati Romam accederent, Nicolaus pontifex moritur; cui Hadrianus eius nominis secundus subrogatur. Is auditis legatis, imperatori catholico gratias egit, et tres sanctae romanae ecclesiae cardinales Stephanum, Donatum, et Marinum, ad imperatorem misit, qui congregato in urbe constantinopolitana concilio quingentorum patrum, anno Christi octingentesimo sexagesimo nono, Photium condemnaverunt, et indignum christiano nomine censuerunt; Ignatium vero restitutum ab optimo imperatore, auctoritate apostolica confirmaverunt.

Sed mortuo post triennium Ignatio, successit Photius, connivente ob conditionem temporum Iohanne pontifice: recens enim sub his temporibus Moamethi secta convalescebat, et Mauri iam saepius Italiam invaserant, et montis etiam Casini monasterium occupaverant. Conatus est igitur Iohannes pontifex malum in bono vincère, ne ulterius in Christi ecclesiam schisma invalesceret. Continere igitur in officio Photium bonus Pontifex conatus est, et restitutum in constantinopolitana sede, quam ante violaverat, toleravit, cui etiam insignia patriarchatus contulit. Veritus est enim ne moamethanum ulcus etiam per Graeciam serperet, prona occasione constantinopolitanorum antistitum in haereses prolabentium: quae res facilius timeri poterat, quod Sergius monachus graecus ex factione Nestorii haeretici patriarchae constan-

tinopolitani Moamethi praeceptor et institutor extiterat. Quid enim ante ea tempora facilius fuit, quam constantinopolitanos antistites haeresibus implicari? Ea de causa Iohannes pontifex simul cum Photio consensisse visus est, ut et iniuriarum oblivio induceretur, et Latini et Graeci in suo utrique sensu abundarent, quasi idem esse videretur, id quod Latini dicunt ex Filio, et quod Graeci dicunt per Filium, et idem (sicut etiam re vera est) sensus utrimque censeretur. Scripsit autem ad Photium pro pace ecclesiarum benigniores atque humaniores litteras, non tamen eas quae in Graecia factae a quibusdam impudentissimis proferuntur (1).

Redintegrata igitur unio orientalis et occidentalis ecclesiae, multos post annos perduravit; donec ventum est ad tempora Constantini eius nominis septimi imperatoris, qui Monomachus dictus est, et Leonis papae eius nominis noni, inter quos ob regnum Apuliae, quod a constantinopolitano imperio defecerat, a Gregorio defensum, capitale odium inter utramque ecclesiam romanam et graecam exortum est: et renovata ex ea occasione photiana impietate, Michaël constantinopolitanus patriarcha se se ab romana ecclesia subtraxit, et primatum ecclesiarum in constantinopolitana urbe se habere professus est: et ut Latini Graecis infensiores redderentur, subinducta iterum de Spiritus, sancti processione controversia est: quae, ut diximus, magis inclinante Graecorum doctrina magis erecta est: eam enim semper deinde auxerunt constantinopolitani antistites, ut se se ab romanae ecclesiae ditione facilius subtraherent. Quamvis post multos annos Michael Palaeologus constantinopolitanus imperator hoc iam inveteratum ecclesiarum dissidium moleste ferens cum Gregorio decimo eius nominis romano pontifice enixe egit, ut catholicae ecclesiae unitas restitueretur. Convocataque a Gregorio apud Lugdunum Galliae synodo, optimus et catholicus imperator interesse non recusavit, anno Salvatoris nostri millesimo ducentesimo septuagesimo quarto: in qua synodo decretum est, id quod terdecies antea per diversa tempora decretum fuisse ex latinis historiis liquet, ut graeca et latina ecclesia sub uno et eodem Christi vicario, et Petri successore, romano pontifice censeretur. De Spiritus sancti autem processione in ea ita determinatum est, ut Spiritus sanctus a Patre Filioque procedere, ex recta et catholica doctrina

(1) De hac conficta Iohannis PP. epistola legesis quae ego dixi in praef. T. I. Scriptorum veterum, editionis repetitae p. XXVI-XXVIII.

diceretur. Sed post photianum scelus, sequentes Photium octavam et nonam synodum non receperunt; quin immo sibi alias synodos fecere, et semper per novos dissidii ministros suggerente Sathana in Graecia recidivus error emersit. Defuncto enim Michaële, Andronicus filius populari et conterraneae pertinaciae obsequens, maiori ex parte similes sui successores habuit: qui nacti sunt patriarchas constantinopolitanos semper huiuscemodi discordiarum cupidos, ut aucto fomite dissensionis a romana ecclesia, ipsi interea velut pontifices maximi in orientalibus ecclesiis haberentur: donec Iohannes Palaeologus imperator veritus Dei iudicium, quod paulo post constantinopolitanae ecclesiae miserabiliter supervenit, egit cum Eugenio quarto pontifice maximo, ut pro ecclesiarum unitate synodus haberetur; eligeret utrum vellet Eugenius, ut aut ipse Pontifex cum latinis patribus imperatoriis expensis se in orientem conferret, aut ipse imperator cum graecis patribus pontificiis expensis in occidentem. Accepit conditionem Eugenius, ut imperator ad se proficisceretur. Fuit enim Eugenius patria venetus, honestissima Condulmeriorum familia, vir optimae mentis, et animi maximi, qui inter bellorum turbines, quibus excitante Philippo Mediolanensium principe universa ardebat Italia, rem catholicae fidei curare non destitit.

Concilio itaque Ferrariae habito anno christianae salutis millesimo quadringentesimo trigesimo octavo, quod post aliquot menses evitandae pestilentiae causa Florentiam translatum est, Iohannes Palaeologus itemque Iosephus patriarcha cum omnibus fere orientis episcopis, et aliis patribus, cum quibus, quod reliquum fuerat aut doctrinae aut religionis in Graecis, in hac synodo iussu imperatoris et patriarchae convenerat; hac ergo in primis quaestione de Spiritus sancti processione proposita, neque die uno aut altero sed per menses fere quindecim agitata, non solum acriter sed pertinaciter a Marco ephesio photiani schismatis assertore defensa, eo deducta res est, ut Graecorum et Latinorum consensu tandem Spiritus sanctus a Patre et Filio procedere diceretur, hoc decreto, quod sicut in ipsa synodo editum est, latinis et graecis litteris subiiciemus. Ὁρίζομεν ἵνα αὕτη ἡ τῆς πίστεως ἀλήθεια ὑπὸ πάντων τῶν χριστιανῶν πιστευθείη τε καὶ ἀποδεχθείη· καὶ οὕτως πάντες ὁμολογοῦσιν, ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ ἀϊδίως ἐστὶ, καὶ τὴν ἑαυτοῦ οὐσίαν, καὶ τὸ ὑπαρκτικὸν αὐτοῦ εἶναι, ἔχοι ἐκ τοῦ πατρὸς ἅμα καὶ τοῦ υἱοῦ· καὶ ἐξ ἀμφοτέρων ἀϊδίως ὡς ἀπὸ μιᾶς ἀρχῆς, καὶ μοναδικῆς

προβολῆς ἐκπορεύεται· διασαφοῦντες ὅτι τοῦθ' ὅπερ οἱ ἅγιοι διδάσκαλοι καὶ πατέρες ἐκ τοῦ πατρὸς διὰ τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι λέγουσι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον εἰς ταύτην φέρει τὴν ἔννοιαν, ὥστε διὰ τοῦτο δηλοῦσθαι καὶ τὸν υἱὸν εἶναι, κατὰ μὲν τοὺς γραικοὺς αἰτίαν, κατὰ δὲ τοὺς λατίνους ἀρχὴν, τῆς τοῦ ἁγίου πνεύματος ὑπάρξεως, ὥσπερ καὶ τὸν πάτερα· ἐπεὶ πάντα ὅσα ἐστὶ τοῦ πατρὸς, αὐτὸς ὁ πατὴρ τῷ μονογενεῖ αὐτοῦ υἱῷ ἐν τῷ γεννᾶν δέδωκε, πλὴν τοῦ εἶναι πατέρα· τοῦτ' αὐτὸ ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ υἱοῦ ἐκπορεύεται αὐτὸς ὁ υἱὸς ἐκ τοῦ πατρὸς ἀϊδίως ἔχει, ἀφ' οὗ ἀϊδίως καὶ γεγέννηται· ἔτι διοριζόμεθα, τὴν τῶν ῥημάτων ἐκείνων ἀνάπτυξιν, τὸ καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ, χάριν τοῦ τὴν ἀλήθειαν διασαφηνισθῆναι, ἀνάγκης τότε ἐπικειμένης, θεμιτῶς τε καὶ εὐλόγως συμβόλῳ προστεθῆναι. *Definimus, ut haec fidei veritas ab omnibus Christianis credatur et suscipiatur: sicque omnes profiteantur, quod Spiritus sanctus ex Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque aeternaliter tamquam ab uno principio et unica spiratione procedit. Declarantes quod id quod sancti doctores et patres dicunt per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur Filium quoque esse, secundum Graecos quidem causam, secundum Latinos vero principium subsistentiae Spiritus sancti, sicut et Patrem: quoniam omnia quae Patris sunt, Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit, praeter esse Patrem. Hoc ipsum quod Spiritus sanctus procedat a Filio, ipse Filius a Patre aeternaliter habet, a quo aeternaliter etiam genitus est. Definimus insuper explicationem verbi illius* FILIOQUE, *veritatis declarande gratia, et imminente tunc necessitate, ac rationabiliter symbolo fuisse appositam.*

Satis hoc in tota controversia esse potuit Latinis et Graecis, si utrisque mens recta in rectam Christi fidem tenderet: universa iam enim declarata, immo de medio sublata difficultas esset; nec enim alia via declarari aut de medio tolli potuit, quam ut congregata ad id negotium synodo graecorum simul et latinorum patrum coram romano Pontifice et imperatore Graecorum et patriarcha constantinopolitano obstrueretur os photianae pertinaciae, et loquentium vanitates labia clauderentur. Post hanc synodum, in qua origo et radix totius controversiae discussa est, nulla ultra synodus intervenientibus Graecis est habita, quia introëunte Sathana in cor Ephesii, seminata in Graecia zizania, catholicae fidei triticum suffocavit: quam ob causam quae postea infelicem Graeciam naufra-

gia et incendia oppresserint, nolim dicere, quia id non possum etiam sine lacrimis cogitare. Illud nunc simul et demiror et doleo, quod his temporibus per forum, per compita, per angiportus, inter compotationes etiam, de Spiritus sancti processione disputant profani et ignari, contra sanctissimam et doctissimam synodum cornu erigunt, et quod olim florens in lnce theologiae Graecia non est ausa taxare, Photium et Ephesinm sequens, collapsa in tenebris vult incessere: et Christi fidem in pertinacia profiteri se se nicaenae synodi decreto tuentes atque honestantes, non intelligunt quam ob causam in his synodis actum, aut decretum sit, neque quam ob causam haec controversia excitata sit, quos fomites, quos crabrones, quae venena, qua ex parte, et quibus temporibus concitaverit. Ignorant Photium violentum sanctissimi Ignatii expulsorem ex occasione incestus et nefariae libidinis primum hanc inter Latinos et Graecos controversiam excitasse. Et non solum contra graecos antiquos theologos, Graeciae lumina, sed contra hanc postremam synodum omnino asserere audent Spiritum sanctum a Filio non procedere, quia procedit ex Patre: neque animadvertunt, et in evangelio, et in symbolo de processione Spiritus sancti factam esse mentionem, non ut excludatur a Filio principium procedendi, sed ut in Spiritu sanctu exprimatur processionis passivae proprietas, per quam a Filio distinguatur.

Quod apud Theodorum raythensem presbyterum, graecum auctorem, apertissime ostenditur. Fuit enim quondam raythense coenobium non longe a monte Sina, ad litus erythraei sinus, quingentis olim monachis florens, quod etiam nunc extat, et nomen verum servans, a non multis monachis habitatur, et montis Sina monasterio obsequitur, quod nunc satis amplos proventus ex hac nostra Creta insula percipit. Is ergo Theodorus et vita et doctrina insignis in sermone quodam, quem dogmaticum nuncnpant, sic ait: *μὴ θαυμάζωμεν τοῦ λέγοντος τοῦ κυρίου ἔξοδον ἀπὸ τοῦ πατρὸς τὴν ἑκατέρου πρόοδον· ἐγὼ γάρ, φησιν, ἐκ τοῦ πατρὸς ἐξῆλθον καὶ ἥκω· καὶ πάλιν τὸ πνεῦμα ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται· εἰ γὰρ τὸ ἐξελθεῖν, καὶ τὸ ἐκπορευθῆναι, ταυτὸν ἐνταῦθα σημαίνει, τῷ πνεύματι γοῦν τὴν ἐκπόρευσιν μᾶλλον κατ' ἐξαίρετον ἥρμοσεν, ὥσπερ ἑαυτῷ τὴν γένεσιν.* *Non miremur, inquit, quod Dominus dicat exitum a Patre, id quod utriusque proventus est, et Filii scilicet et Spiritus sancti. Dixit enim, ego ex Patre exivi, et venio. Et iterum dixit, Spiritus qui a Patre procedit. Quum enim exire et procedere hoc in*

Theodorus rayth.

loco idem significent, Spiritui sancto processionem magis praecipuam accommodavit, sicut sibi ipsi generationem. Ecce quam apte bonus et doctus hic vir processionem κατ' ἐξαίρετον Spiritus sancti nominavit. Quid enim est τὸ κατ' ἐξαίρετον, nisi proprium aliquid et praecipuum, quo alterum respectu alterius distinguitur?

Graecis ergo rationem exposcentibus quare in evangelio, cur in symbolo dictus sit Spiritus sanctus a Patre procedere, nec nuntiatus est Filius; facilis responsio quaestionem tollit, quia id agitur, ut Spiritus sanctus per processionem, non per generationem de Patre sit: Filius e contrario per generationem non per processionem proprie; licet dixerit, ego a Patre exivi et venio. Sed quis umquam ex graecis auctoribus ausus est dicere, Spiritus sanctus a solo Patre procedit, sicut ab omnibus scriptum est Filium a solo Patre esse genitum? Non advertitis, Graeci fratres, quod idem dominus noster Iesus Christus, qui dixit Spiritum sanctum a Patre procedere, dixit eumdem Spiritum veritatis, hoc est suum ipsius dixit esse, a Filio missum dixit, in suo Filii nomine missum, dixit eum de suo accipere, quem etiam in apostolos insufflavit? Quid accipit Spiritus sanctus a Filio? quid mittitur? quid insufflatur? numquid hoc dicemus esse aliquid creatum, mortale, fluxum, mutabile? numquid aliquid nostrae infirmitatis? Absit a pia mente fidelium, ut hoc ita interpretemur. Non potest ergo aliquid a Filio accipere, nisi divinum et aeternum; nec esse a Filio, nisi ita ut etiam dicatur procedere a Filio; quod melius suo loco apertissimis auctoritatibus et rationibus ostendemus. Recte igitur et pie intelligamus, Graeci fratres, dogma nicaeni concilii, quod non est editum in destructionem et separationem sanctae matris ecclesiae, sed in eius aedificationem et unitatem. Vos decretum synodi contra arrianam perfidiam non recte interpretantes, in viscera catholicae fidei vertitis: et pertinaciter, quod sive non intelligitis, sive potius intelligere non vultis, asserentes, inconsutilem Domini tunicam perversa suasione disciditis. Creditis Spiritum sanctum a Patre procedere, hoc et pium et verum est, tanquam ab ea persona, quae quicquid possidet, habet a se; et quae ideo dicitur procedere, quia non est genita: hoc enim dicere voluerunt centum quinquaginta patres, qui in constantinopolitana synodo nicaenum symbolum exposuerunt. Creditis Spiritum sanctum esse a Filio; credatis etiam ipsum procedere a Filio, quia Spiritui sancto idem est

esse ab alio, quod procedere ab alio; et Filio idem est esse ab alio, quod et genitum esse ab alio; et patri idem est non esse ab alio, quod non esse genitum, et non procedere ab alio. Credatis Patrem et Filium una voluntate, unoque spirationis principio spirare Spiritum sanctum.

At vero, inquiunt, id in nicaena synodo decretum non est: sed multa creditis, et recte creditis, quae in nicaena synodo decreta non sunt: neque vero niacena synodus vetuit, neque vetare potuit, ut deinceps synodalibus declarationibus, et interpretationibus non crederetur: sed ne aliena fides conversis gentibus ex graeca gentilitate, aut ex iudaismo, aut ex haereticorum sectis induceretur, dictum est Spiritum sanctum a Patre procedere: non est exclusus Filius, sed Spiritus sancti monstrata proprietas est, quod procedens sit, et non genitus. Sed quaero a vobis, Graeci fratres, qui Spiritum sanctum Filii, et a Filio, et per Filium esse conceditis, qui scaturire, germinare, refulgere asseritis, qua quaeso in parte nicaeni symboli haec legistis? Ubi ista in evangelio conscripta sunt? Damnabimus ergo pias et religiosas tot sanctorum patrum graecorum interpretationes? Eorum dicta explodemus? Iudicabimus anathematis reos? Absit a latinis fidelibus tanta dementia, tanta protervitas. Excipiunt Latini graecos theologos, et magna cum praefatione honoris in asserenda Christi fide nominant, venerantur, et eorum etiam festos dies celebrant, quicquid in Christi evangelium conscripserunt, recte interpretari conantur. Haec quamvis poëtica dictiuncularum titillamenta non respuunt, quia in sinceritate fidei ab optimis mentibus sunt prolata, et quia vera fides non verba in ore, sed in corde et mente pensitat; boni consulit si naturalibus verbis, id quod supra naturam est, non sic exprimitur, ut cogitatur. Cur ergo sinceram Latinorum expositionem, Graeci qui se a catholicis separant non audiunt, et in calumniam vertunt? An vero quia in nicaena synodo dictum est de persona Filii *Deus de Deo*, *Deus verus de Deo vero*, idque de Spiritu sancto expressum esse non constat, ob id dicemus Spiritum sanctum non esse Deum de Deo, aut lumen de lumine, aut Deum verum de Deo vero? An ob id quod solus Pater dictus est omnipotens, omnipotentiam a Filio et Spiritu sancto subtrahemus?

Quum igitur non solum de Filio, sed etiam de Spiritu sancto, ex vera interpretatione dicantur, quae in Patre contra haereticos sunt expressa, sic etiam de Spiritu sancto contra eosdem haereticos nonnul-

la prolata sunt, quae constat esse Patris et Filii. Iohannes apostolus in apocalypsi de Filio loquens ait: *quod habet nomen scriptum, quod nemo scit, nisi ipse.* Ob id ergo id nomen Patri, et Spiritui sancto ignotum esse dicemus? Et quum dicitur in evangelio, *nemo novit Patrem nisi Filius, nec Filium quis novit nisi Pater*, ob id excludendus est a cognitione Filii Spiritus sanctus? Multa enim eiusmodi in evangelio et sacris scripturis reperies, quae afferre singula longum esset: de quibus ne mihi sine graeco et quidem magno testimonio credas, sic ait vir sanctae et aeternae memoriae Cyrillus in libro thesaurorum: πολλὰ προσεῖναι λέγεται μόνῳ τῷ πατρὶ, καὶ οὐ τούτων πάντων ἔσται ἔρημος ὁ υἱὸς: id est *multa inesse soli Patri dicuntur, quorum omnium non est privatus Filius.* Satis ergo est id intelligere, primo in Nicaca, deinde in Constantinopolis urbe congregatos patres, ut ostendimus, id decrevisse propter quod convenerant, et illas adiectiones ob eas quas retulimus verissimas causas, symbolo apostolorum apposuisse, ut contra arrianam reliquorumque haereticorum perfidiam tres personae, unus intelligeretur Deus, quae proprietatibus, non natura distinguerentur: ut quum solus Pater a nullo sit, Filius vero et Spiritus sanctus non a nullo, sed ab alio, quia a Patre uterque est, differentia in utrisque proprietatum assignaretur; et Filius a Patre per generationem, Spiritus sanctus per processionem esse diceretur.

Iam ex iis, quae diximus, potest coniici, quae necessitas Latinos induxerit, ut adderetur in symbolo Spiritum sanctum a Filio procedere. Verum ii, qui in graeco schismate pertinaciores sunt, ubi rationibus et auctoritatibus anguntur, et veram esse Spiritus sancti processionem, quasi mussitando fateri coguntur, eo recurrunt, ne a pertinacia sua discedant, et dicunt: etiamsi vera sit sive additio sive interpretatio, non esse tamen addendam in symbolo: id etiam poena anathematis apposita vetitum esse, ex tertiae et quartae synodi decretis. Quasi vero ab his vetitum sit, et sublata facultas ulterius contra haereticos, aut minus in fide sentientes, indictis apostolica auctoritate conciliis quicquam decernere. Nonne secunda synodus constantinopolitana post nicaenam idem egit? et tertia ephesina post secundam? Nonne post has synodos permulta concilia in oriente et occidente auctoritate sedis apostolicae et congregata et confirmata fuisse, ex his partim quae adduximus, et ex antiquis historiis, liquet?

Sed quae fuerit necessitas apponendae particulae, inde etiam facile considerari potest, quod post promulgatam symboli nicaeni expositionem, in qua de Spiritus sancti processione (ut supra ostendimus) nulla mentio facta est, nisi ad distinguendam proprietatem, ne eadem generatio et processio putaretur, graeci theologi dicta evangelica et apostolica diligentius pensitantes, ex quibus variis in locis, apertissimis verbis, et verissimis rationibus, colligitur Spiritum sanctum a Filio procedere, et non solum a Patre processionem, sed etiam a Filio, aliis vocabulis exprimere maluisse visi sunt; et unum idemque principium processionis, in Patre quidem processionem, in Filio vero exitum, germinationem, scaturiginem, fulgorem, et aliis huiusmodi variis vocabulis distinxerunt: ut apud Graecos antiquiores theologos rarius dictum inveniatur processionis nomen a Filio, sed per Filium saepius, cuius et a quo esse ab omnibus non ambigitur Spiritus sanctus; ut ex auctoritatibus graecorum patrum, quas superius adduximus, et quas adducturi sumus, plane percipitur. Latini vero sequentes in primis Hilarium, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Leonem, antiquos et magnos theologos, clara et aperta voce asserentes Spiritum sanctum a Patre et Filio procedere, consideraverunt sanctos patres confusionem illam vocabulorum vitare voluisse; et unam eandemque spirandi vim in Patre et Filio constituerunt, qua spiratur Spiritus sanctus ab utroque procedens, quae in Patre considerata processionis nomine dicta est, quia dictum est in evangelio, qui a Patre procedit: in Filio autem eadem considerata (quamvis etiam processio dici posset) dictam a Graecis aliis vocabulis eamdem vim spirandi existimaverunt: id quod profecto verissimum est: quis enim tam demens, et theologicae facultatis expers est, qui proprietatem scaturiginis aut germinationis aliam a processione in divinis considerari audeat?

Hoc sane consequentiae incommodum, quod evitari non poterat, declinantes latini posteriores theologi uno processionis vocabulo, nonnisi una existente licet diversis modis considerata processione, evitare conati sunt: atque ob id simul a Patre et a Filio procedere Spiritum sanctum ingenue professi sunt, ne novas proprietates in divina essentia ponere cogerentur. In illo enim ineffabili et purissimo actu simplicissimaque natura omnem (quantum menti nostrae possibile est) diversitatem etiam relationum minuere tutissimum est. Sed quid haec processio diversis vocabulis

nuncupata significet, suo loco explicabimus. Haec itaque eiusdem rei intelligentia. Sed diversa forsitan ratio intelligendi, inter orientis et occidentis ecclesias, excitante primum Photio, et nunc deminutu ephesio, dissensionis fomenta nutrivit. Qua ex causa quid mirum est, si ex Gaecis quidam de Spiritus sancti processione idem cum Latinis sentire nolentes, secum et inter se dissidere coacti sunt? Fuit enim antea inter eos stulta quaedam et a studio contradicendi profecta dissensio, dum ad id quondam dementiae pervenissent, ut alii se Gregorianos a Gregorio theologo, alii Basilianos, alii Chrysostomitas appellari vellent, et alter alterius velut factionis principem faceret; neque tantorum patrum statas et annuas festivitates celebrarent, nisi eius quem quisque sectator elegerat: quae res tunc graecis sanae et bonae mentis patribus permolesta causam novae celebritati dedit: ut post singulorum sanctorum dies festos, communis simul trium doctorum festivitas indiceretur, quae nunc quoque in graecis omnibus ecclesiis anniversario cultu solemnis est: ex quo minus mirum esse debet si latinos auctores, magna christianae fidei lumina, respuere non sunt veriti: facillime enim reiicitur quod non noscitur. Constat enim hanc de processione difficultatem inter ignaros, et indoctos homines maiores turbellas, et dissidia concitasse, quam inter scientes et doctos. Qui enim ex Graecis sanctiores et doctiores fuerunt, aut idem in ea re cum Latinis senserunt, aut graecam assertionem ex sensu Latinorum interpretati sunt: qui etiam contra Graecos, Graeci quum essent, aperte scripsere, sequuti potius suos antiquos auctores, viros sanctos doctosque theologos, quam vulgatam persuasionem adeo post Photium concitatam et auctam, ut nunc solemnissimam et maxime omnium legitimam florentinam synodum palam damnent; et incredibiles ineptias afferentes, tandem dicunt, nos florentinam synodum non recipimus.

Possem tibi, contumax, respondere: idem fecit Arrius, idem Sabellius, idem Nestorius, idem universa turba haereticorum. Latini qui nicaenam synodum una cum posterioribus excepere, hanc quoque excipiunt. Tu qui te doctiorem et meliorem existimas, tecum tute sentias, tecum tua pertinacia sit in perditione, sed non potes mihi esse infensus: tua mihi, o ephesiane, pertinacia odio est, non tua professio. Christus admonet me et tibi inungam ut alligem vulnera. Quoties in fide Christi aliquid inter fideles ambiguum, aut dignum interpreta-

tione est, nonne id ad synodos oecumenicas deferri consuevit? Ubi haec discutienda sunt? aut inter quos disputanda? aut a quibus definienda? Ex tot synodis, quas supra retulimus, quam reperias, quae magis canonico aut legitimo iure convocata sit, quam haec florentina? in qua et summus Pontifex, et constantinopolitanus imperator, et secundus post romanum Pontificem constantinopolitanus antistes cum ducentis prope graecis hominibus ex tota Graecia electis, inter quos fuere tot episcopi, abbates, et pneumatici, quos Latini confessores appellare solent. Quid ais? discessit Ephesius ex synodo, subscribere noluit. Idem in nicaena synodo fecit Arrius: ob id non est nicaena synodus a Christi fidelibus recipienda? Iudas proditor ex concilio apostolorum se subtrahens, et Christum prodens, crepuit medius, et diffusa sunt omnia viscera eius: idem Arrio contigit, idem photiano Ephesio. Quam vereor, Graeci fratres, ne idem vobis eveniat, quod Arrianis, et Nestorianis, et Manichaeis evenit! Nam post primam nicaenam synodum, quam non recepit Arrius, eius etiam haeresis post ducentos fere et quinquaginta annos viguit, et universum orbem terrarum infecit, donec Maumethes arabs congregatis in unum tenebris, omnes qui universales synodos non receperant velut in luce evangelii ambulare nolentes irretivit, et in sua impietate ceteras haereticorum sectas extinxit: suam, quae nunc etiam plurimum viget, ex his christianae fidei naufragiis auxit.

Agitur nunc annus septimus et sexagesimus, ex quo celebratum Florentiae concilium. Non recepit Ephesius. Quid de Ephesio dicendum est? nisi quod post nicaenam synodum primam Arrius, post secundam constantinopolitanam Macedonius, post tertiam ephesinam Nestorius, post chalcedonensem Eutyches, post reliquas duas constantinopolitanas Theodorus et Macarius, post septimam nicaenam feliciana haeresis, post octavam constantinopolinam Photius, post lugdunensem et florentinam cum Photianis Ephesius, Christi ecclesiam perverterunt, recesserunt a congregatis patribus in Spiritu sancto, et in concilio impiorum abierunt, congregaverunt conventicula eorum de sanguinibus, contaminaverunt gregem Christi, eiusque tunicam (ut saepius diximus) inconsutilem laceraverunt. An vero, Graeci fratres, nescitis quid de iis scriptum est in psalmo? nescierunt, et non intellexerunt, in tenebris ambulant. Quin, ecce inimici tui sonuerunt, et qui oderunt te extulerunt caput, super populum tuum malignaverunt consilium, et cogitaverunt adversus

sanctos tuos. Haec loquens propheta contra inimicos Dei, alibi nos admonet ut odio ecclesiam malignorum habeamus. Non est enim ecclesia sed conventiculum, et conciliabulum impietatis atque perfidiae, ubi congregantur, qui synodalibus decretis resistunt, et declaratam in sancto Spiritu veritatem explodunt, quid affert contra Latinos nicaena synodus ab iis qui synodos respuunt? Numquid licet nobis eligere quam sequi synodum velimus? Latini primam nicaenam synodum, et post illam ceteras omnes universales recipiunt, quia se catholicos et christianos dici volunt, non Photianos aut Ephesianos; quibus vos adhaerentes non solum romanum Pontificem maximum sed vestrum tunc christianissimum imperatorem optimumque patriarcham cum tota latinorum graecorumque patrum synodo reiecistis. Et pro assertione vestra synodos nominare audetis? quae dementia? quae caecitas est? sperare vos de Spiritu sancto recte sentire posse, qui Spiritui sancto resistitis? et dum constantinopolitanam sedem contra Christi decretum a beati Petri apostolorum principis throno atque auctoritate secluditis, dum regnum Christi in se ipsum dividitis (utinam hac in parte falsa dicerem!) desolatum apud vos est regnum eius, et constantinopolitana sedes, quae vero Christi vicario per tot saecula obsequi recusavit, nunc tandem sub maumethano principe profanis pedibus subiecta calcatur. Quam ut Deus clemens et misericors vobis restituat, Latinorum omnes ecclesiae, omnia coenobia, quotidianis precibus flagitant. Sed hoc impetrari non potest vobis nolentibus. Exuite, quaeso, cor lapideum, induite cor carneum, redite in mentem et resipiscite, et in Spiritu sancto per viscera misericordiae Domini nostri Iesu Christi pertinaciam deponite, evangelium et sanctas synodos non in uno verbo, sed in toto contextu, et in tota serie temporum considerate, contaminatam et sordidam photiani sceleris occasionem ediscite: non collidatis inter se Graecos latinosque theologos, sed ex uno Spiritu sancto locutos existimetis: et synodales demum interpretationes non ex vestra conterranea persuasione, sed ex veritatis Spiritu de eius processione cogitantes excipiatis.

HIERONYMI DONATI

DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI

CONTRA GRAECUM SCHISMA

LIBER TERTIUS.

PROOEMIUM.

De nicaena expositione symboli disserentes, digressi sumus longius quam ab initio opinabamur, sed non certe quam oportebat: necessarium enim videbatur et res gestas, et tempora afferre, et simul rationes rerum gestarum, et temporum, ut in omnibus rite congregatis synodis, quae *οἰκουμενικαὶ*, sive universales, ex toto terrarum orbe collectae dictae sunt, una Christi ecclesiae unitas, una haereticorum expulsio nasceretur: simulque illud patere posset, quod maxime quaesitum, nec satis in ipsa florentina synodo ex eius actis explicatum comperi, quodque a principio ostensuros nos polliciti sumus, unde haec inter Graecos et Latinos controversia nata sit. Praecipuam enim dissidii occasionem, ut ex graeca historia constat, ante annos fere sexcentos ab hac aetate nostra excitavit incesta illa et polluta tantis sordibus Photii temeritas, post maumethanum incendium pestis altera. Simul etiam ex omni synodorum serie, quam dinumeratis temporibus attulimus, illud potest colligi ex fide cuique privatim et publice in synodalibus constitutionibus et decretis licuisse, non praeteritas synodales constitutiones solum, sed et symbolum apostolorum, et ipsa etiam ubique evangelia interpretari, idque piae et christianae mentis existimatum esse: sed contra synodos universales cornua erigere, et calcitrare procul dubio tam a graecis quam latinis fidelibus semper haereticae et profanae pravitatis et pertinaciae iudicatum est. Quo magis, Graeci fratres, id terrere vos debet, ne sub eadem ruina praecipites opprimamini, sub qua graecis olim ecclesiis praesidentes Macedonius, Nestorius, Macarius, Eutyches, Theodorus, et reliqui antiquiores haeretici, et postremo Photius, atque Ephesius, resistentes synodalibus decretis ex gremio catholicae atque orthodo-

xae ecclesiae excussi in aeternas tenebras corruerunt. Cavete, quaeso, et perhorrescite eventum per omnia similem, ne dum de Spiritus sancti processione disseritur post florentinam synodum, vos deinceps Ephesianos nominare necesse sit, non catholicos aut christianos. Deus et Dominus noster Iesus Christus, per viscera misericordiae et caritatis suae, imminens hoc, et iam non imminens, sed prope conculcans et premens malum a cervicibus vestris avertat, et post scelus Photii collapsam semper in peius Graeciam tandem respiciat, sublevet, et spiret in vobis Spiritum veritatis, ut sacras litteras non ex photiana impietate, non ex ephesina pertinacia, sed ex synodali et catholico sensu intelligere atque interpretari valeatis.

CAPUT I.

Eversio secundae et tertiae excusationis Schismaticorum quas super evangelicis et apostolicis verbis fundare satagebant.

Sequamur igitur quod instituimus, et obiectas superiore libro ex evangelio atque apostolis auctoritates discutiamus. Ego, inquit Christus veritas, mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit. Videamus an ob id, quod subticuit a Filio, an ob id quod non expressit Filium, subtrahi debeat a Filio principium processionis Spiritus sancti. Quod si arte dialecticae argumentationis utendum esset, facilis et prompta responsio ambiguitatem omnem tollere posset: et non ob id processionis principium excludi posse a Filio probaretur, quia includatur in Patre. Sed sicut hactenus egimus, nudam et simplicem veritatem scripturarum ex graecis theologis stilo exposito sine fuco et sine artificio discurramus. *Quum venerit*, inquit, *paraclitus*, *quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis*, *qui a Patre procedit*. Quis hic loquitur? nonne Christus? Christus, inquam, verus homo, idem verus Deus, et quia verus homo et verus Deus est, saepenumero ut Deus loquitur, saepenumero ut homo: et quatenus homo est, non est Deus; quatenus vero Deus est, non est homo; sed Christus est, quatenus est Deus homo, qui in terris visus est, et cum hominibus conversatus est: et sicut multa egit ut homo, et multa

egit ut Deus, ita multa loquutus ut homo, multa loquutus ut Deus. Unde Dionysius ad Caium scribens de Christo, quo pacto verus Deus existens dici potuit non homo, et quomodo verus Deus, sic ait. Καὶ γὰρ ἵνα συνελόντες εἴπωμεν, οὐδὲ ἄνθρωπος ἦν· οὐχ' ὡς μὴ ἄνθρωπος, ἀλλ' ἐξ ἀνθρώπων ἐπέκεινα· καὶ ὑπὲρ ἀνθρώπων ἀληθῶς ἄνθρωπος γεγονώς· καὶ τὸ λοιπὸν οὐ κατὰ θεὸν τὰ θεῖα δράσας, οὔτ' ἀνθρώπινα κατ' ἄνθρωπον· ἀλλὰ ἀνδρωθέντος θεοῦ, κοινήν τινα τὴν θεανδρικὴν ἐνέργειαν ἡμῖν πεπολιτευμένος. Id est *etenim, ut brevibus verbis comprehensa dicamus, neque homo fuit, non ut homo, sed ut ex homine, ultra hominem, et supra hominem vere factus homo: et postremo non secundum Deum divina, neque secundum hominem humana faciens, sed quum Deus homo factus sit, inter nos communi quadam Deo et homini actione versatus est.* Dionysius

Sicut ergo erat Deus homo, ita non solum operabatur ut Deus homo, sed loquebatur ut Deus homo, velut unum divinae humanaeque naturae suppositum: eodemque contextu sermonis modo ut homo, modo ut Deus loquebatur: mea, inqoit, doctrina non est mea, sed eius qui misit me Patris. Quomodo mea non est mea, nisi quia mea doctrina Dei, non est mea hominis? Saepe igitur dum loquitur ut homo, ad Patrem referre solet, quod et suum est non ut hominis, sed ut Dei. Verba, inquit, quae ego loquor vobis, a me ipso non loquor, quia non tamquam a se ipso homine loquitur, sed a se ipso Deo. Alibi enim in evangelio dixit: principium qui et loquor vobis, quia a se ipso loquitur, ut principio, sive ut Deo. Sic profecto ex eodem sensu potuit dicere apertius, quod tamen sanius esset intelligendum, ut puta si dixisset: Spiritus sanctus quem ego mitto, sive qui a me procedit, non a me mittitur, aut procedit, sed mittitur et procedit ex Patre. Quod si sic dixisset, ut homo loquens, retulisset in Patrem, quod et suum est, non ut hominis, sed ut Dei. Dixit igitur, quum venerit paraclitus quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit. Christus Dei Filius loquens in persona Dei, immo ut verus Deus ita loqui posse intelligendus est: ego mittam vobis Spiritum veritatis, hoc est Spiritum meum, Spiritum filii Dei, qui sum via, veritas, et vita: qui Spiritus licet sit meus, et licet mittatur a me, tamen ob id meus est, et a me mittitur, quia hoc habeo a Patre, ut sit meus Spiritus; a quo Patre etiam Spiritus procedit: et ideo mittam vobis

Spiritum meum, qui tamen in primis a Patre est, et a Patre procedit.

Cur ex his evangelii verbis non coniicitur Spiritus sanctus simul a Patre simul a Filio procedere? quae dementia est? quae superstitio est? pertinaciter inficiari ut quod sit Filii, quod sit naturaliter a Filio, quod sit per Filium, quod mittitur a Filio, non procedat a Filio? Profecto mittere Spiritum sanctum, neque servitutem, neque ministerium dicere potest in Filio, qui aequalis est Patri, non servus aut minister Patris. Sed Spiritum dicitur Christus mittere, tamquam Deus, id quod suum est mittens ex potestate naturae divinae, non ex subiectione infirmitatis humanae. Dicet mihi ephesianus graeculus: unde ista confingis? Sed audiat Cyrillum graecae theologiae antistitem doctissimum et sanctissimum in sermone ad Theodosium: βαπτίζοντα ἔφη τὸν Ἰησοῦν ἐν πυρὶ καὶ ἁγίῳ πνεύματι, οὐ τὸ ἀλλότριον τοῖς βαπτιζομένοις ἐνιέντα πνεῦμα δουλοπρεπῶς καὶ ὑπηρετικῶς, ἀλλ' ὡς Θεὸν κατὰ φύσιν μετ' ἐξουσίας τῆς ἀνωτάτω τὸ ἐξ αὐτοῦ καὶ ἴδιον αὐτοῦ. *Baptizantem inquit Iesum in igne et Spiritu sancto: non quod alienum baptizatis immittat Spiritum ex servitio aut minisetrio, sed tamquam Deum secundum naturam supernae potestatis ex se ipso et proprium sibi ipsi.* Cui concordat Didymus elegans auctor, cuius ego apud Graecos graece scripta non reperi (1), sed teste Hieronymo multa conscripsit: quaedam tamen, ut supra in quinta synodo ostendimus, non recte sensisse taxatus est. Sed super hac eadem particula cum Cyrillo consentit dicens: iste Spiritus consolator a Filio mittitur, non secundum angelorum, aut prophetarum, aut apostolorum ministerium, sed ut mitti decet a sapientia et virtute Spiritum Dei indivisam habentem cum eadem sapientia et virtute naturam.

Cyrillus

Sed redeamus ad Cyrillum, et quid super hac ipsa particula evangelistae referat videamus. Ibi enim simul particulam docte et eleganter explicat, simul opinantes eiusmodi in Christo ministerium detestatur, quum ait: ἰδοὺ γὰρ ἰδοὺ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, τουτέστιν αὐτοῦ τὸν παράκλητον εἰπὼν παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεσθαι φησί· ὥσπερ οὐδ' ἔστιν ἴδιον πνεῦμα τοῦ υἱοῦ φυσικῶς ἐν αὐτῷ τε ὑπάρχον, καὶ δι' αὐτοῦ προϊὸν, οὕτω καὶ τοῦ πατρός· οἷς δὲ τὸ πνεῦμα κοινὸν, τούτοις εἴη δήπου πάντως ἂν καὶ τὰ τῆς οὐσίας οὐ διωρισμένα. *Ecce*, inquit, *ecce Spiritum veritatis, hoc est suum ipsius para-*

(1) Edidit graece Didymum de Spiritu sancto nostra aetate Mingarellius. Codex perrarus operis in vaticana quoque bibliotheca servatur.

clitum dicens, a Patre procedere asserit: sicut enim est proprius Spiritus Filii naturaliter in ipso existens, et per ipsum prodiens, sic et Patris est. Quibus autem communis Spiritus est, his omnino ea quae substantiae sunt non disiunguntur. Et paulo post super eadem particula in persona Christi loquens et disserens, sic ait. Ὅταν τοίνυν ἔλθῃ ὁ παράκλητος, φησὶ, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας τουτέστι τὸ ἐμὸν, ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται, ἐκεῖνος μαρτυρήσει περὶ ἐμοῦ. μαρτυρήσει δὲ πῶς; ἐνεργῆσαν γὰρ ἐν ὑμῖν τε καὶ δι' ὑμῶν τὰ παράδοξα, μάρτυς ἔσται δίκαιος τε καὶ ἀληθὴς τῆς ἐμῆς θεοπρεποῦς ἐξουσίας, καὶ τῆς ἐν δυνάμει μεγαλειότητος· ἐμὸν γὰρ πνεῦμα τὸ ἐνεργοῦν ἐν ὑμῖν· ὥσπερ δὲ ἐμὸν οὕτω καὶ τοῦ θεοῦ καὶ πατρός. *Quum ergo*, inquit, *venerit paraclitus Spiritus veritatis, idest meus, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Sed quomodo perhibebit? operabitur in vobis, et per vos mirabilia, et sic testis erit iustus et verus meae concedentis potestatis, meaeque in virtute magnitudinis: meus enim est Spiritus, qui operatur in vobis. Sicut autem est meus, sic et est Dei Patris.*

At vero idem pater longioribus verbis disserit contra eos, qui putant Filium Dei mittere Spiritum sanctum ex servitute aut ministerio, tamquam ministrum aut servum in re aliena, et non tamquam Deum et dominum in re propria: contra quos postquam acerbe invectus est, non solum imprudentes, sed stultos et caecos, et miseros appellavit, dicens: εἰ γὰρ ὅλως χορηγεῖ τὸ πνεῦμα πατρὸς, ὁ υἱὸς ἐν ὑπηρέτου τινὸς τάξει λελογισμένος, πῶς οὐκ ἀναγκαῖον, ὡς ἀλλότριον μέν ἐστι παντελῶς τῆς οὐσίας αὐτοῦ: *si enim Filius in ordinem cuiuspiam ministri redactus distribuit Spiritum a Patre, quomodo non necessarium erit fateri, alienum esse omnibus modis ab eius substantia?* Haec omnia sanctus pater non affert solum ut evangelium declaret, sed ut Arrium Macedoniumque confundat, qui Spiritum sanctum, ut supra ostendimus, creaturam esse dixerunt. Idem namque pater in expositione super Ioël dicit: ᾗ μὲν γὰρ ἐστὶ θεὸς ἐκ θεοῦ κατὰ φύσιν ὁ υἱὸς· γεγέννηται γὰρ ἐκ τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς, ἴδιον αὐτοῦ καὶ ἐν αὐτῷ, καὶ ἐξ αὐτοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καθάπερ ἀμέλει ἐπ' αὐτοῦ νοεῖται τοῦ θεοῦ καὶ πατρός. *Quatenus enim Filius secundum naturam est Deus de Deo, genitus est ipsius Dei et Patris, proprius est eius, et in eo, et ex eo Spiritus, quemadmodum videlicet in ipso, et in Patre consideratur.* Idem apertius exprimit idem pater in sermone sive epistola contra Nestorium, cuius particulam libro superiore recitavimus, ubi

aperte inquit Spiritum sanctum, Spiritum veritatis: veritatis dicit, idest Spiritum Filii, et ab eo effundi sicut ab ipso Patre ostendimus: quod effundi et procedere apud eumdem Cyrillum promiscue idem significat. Quod enim profundi a Filio Spiritum sanctum nihil aliud sit, quam ipsum a Filio substantialiter esse, quam evidentissime alio in loco explicat idem: pater in dialogo ad Palladium: ἔστιν ἔφη τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς οὐσιωδῶς ἐξ ἀμφοῖν ἤτοι ἐκ πατρὸς δι' υἱοῦ προχεόμενον πνεῦμα: *est*, inquit, *Spiritus sanctus Dei et Patris substantialiter ab utroque sive ex Patre per Filium profusus Spiritus.* Libenter Cyrillum testem afferimus, tum quia auctor est magni apud Graecos nominis, tum quia cum eo sentire ex decreto secundae synodi, quod superiore libro retulimus, imposita et anathematis inustione, iubemur.

Cyrillus

Quid ergo dicemus, Graeci fratres? Verba ipsa evangelii a nobis ipsis adducta vos damnant, dum sane intelliguntur, dum pie considerantur: photianam pertinaciam maiore execratione procul dubio dignam ostendunt: Cyrillus synodali decreto approbatus testis, quem merito tota Graecia laudat et admiratur, cum Latinis sentit, immo vero Latini cum illo: nec Cyrillus solum, sed omnes, quos supra attulimus graeci theologi. Quid sibi vult, quaeso, Basilius, ipse quoque alter velut Plato theologorum, quum in libro contradictionum de Spiritu sancto loquens, ait? Τῷ ἀξιώματι καὶ τῇ τάξει δευτερεύει τοῦ υἱοῦ, παρ' αὐτοῦ τὸ εἶναι ἔχον, καὶ παρ' αὐτοῦ λαμβάνον, καὶ ἀναγγέλλον ἡμῖν: idest, *dignitate et ordine post Filium est Spiritus sanctus, ab ipso habens esse, et ab ipso accipiens, et annuntians nobis.* Quorum verborum quisnam alius sensus est, nisi ut quia a Patre procedit, simul procedit a Filio? Quid, quaeso, aliud est dignitate et ordine censeri post Filium, et a Filio habere τὸ εἶναι, hoc est esse, quam ab ipso procedere? Dicet ephesianus discipulus corruptos esse de industria Basilii libros. O dementiam singularem! Quis eos per totam Graeciam corrupit? quam ob causam? An vero non quadrat ubique intelligentiae sensus, et totius textura periodi? Quam ignavum, quam impudens est hoc ephesianae pertinaciae diverticulum! Non puto, inquit, dicendum esse a Filio Spiritum sanctum procedere, sed prodire, pullulare, et fundi, et scaturire: sed condono tibi et longe plura vocabula: omnes poëtas, omnes oratores, totum denique dictionarium evolve; modo sub tot vocabulis idem sentias, modo in personis proprietatem, in essentia unitatem sta-

Basilius

tuas, et Filium non servum aut ministrum, sed verum Deum et consortem divinae virtutis efficias, et exuta photiana impietate et pertinacia, induas mansuetudinem et lenitatem.

Nunc aliam Iohannis evangelistae particulam, quam pro adstruenda sua assertione Photiani afferunt, diligentius retractemus. *Si diligitis*, inquit, *me*, *mandata mea servabitis*, *et ego rogabo Patrem*, *et alium paraclitum dabit vobis*, *ut maneat vobiscum in aeternum*, *Spiritum veritatis.* Quia, inquiunt, Spiritus sanctus ab ipso solo Patre procedit, rogat Filius Patrem, ut detur apostolis Spiritus sanctus. Filius ergo intercessor, Pater productor sive spirator est sancti Spiritus: procedit ergo a Patre, non a Filio, quia munus a largitore, non ab intercessore procedit. Sed videamus quam crasso errore photiana pertinacia sacrarum scripturarum ignoratione labatur. Loquitur Christus redemptor noster: *si diligitis*, inquit, *me*, *mandata mea servabitis*; quia idem est Deum diligere, et Dei mandata servare: primum enim et maximum mandatum in lege, asserente eodem Redemptore nostro, est illud, diliges Deum tuum ex toto corde tuo: in quo mandato quaecumque particularius lex praecipit, includuntur; quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: unde plenitudo legis est dilectio. Idem Iohannes evangelista alibi: diligamus, inquit, invicem, quia dilectio ex Deo est. Et paulo post subdit: omnis qui diligit, ex Deo natus est, quia Deus dilectio est. Ex verbo ergo Iohannis evangelistae dilectio ex Deo est, et dilectio Deus est. Dilectio quae est ex Deo, ut rectissime coniectamur, est ipse Spiritus sanctus, qua se invicem diligunt Pater et Filius: quia quum, ut supra diximus, Patri merito attribuatur praecipua ratione unitas, Filio aequalitas, Spiritui sancto unitatis aequalitatisque concordia, et nexus quidam ineffabilis suavitatis, dilectio autem concordia ipsa est; si ergo simul dilectio ex Deo est, et dilectio simul Deus est, procul dubio dilectio est Deus de Deo. Hoc autem, quod est esse Deum de Deo, aut personae Filii est, aut Spiritus sancti: nam Pater solus ita est Deus, ut non sit Deus de Deo, quia nec genitus, nec procedens est. Magis autem proprie dicitur dilectio haec de Spiritu sancto quam de Filio: nam semper fere ubi in evangelio de dilectione fit mentio, ut superiore libro diximus, confestim adducitur Spiritus sanctus sicut hoc loco factum est, de paracleto Spiritu veritatis, quem se impetraturum promittit a Patre Christus Filius pro diligentibus et

servantibus mandata sua. Sicut in eodem Iohannis evangelio, quum dictum est: siquis diligit me, Pater meus diliget eum, facta digressione dilectionis, ab ea non discedit, nisi commemorans, Spiritum sanctum, quem mittet, inquit, Pater in nomine meo, qui vos docebit omnia quaecumque ad dilectionem pertinentia dixero vobis: quia hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem: atque ea de causa pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.

Alibi autem apud eundem evangelistam, quum ostensum esset per dilectionem nos in Deo manere, causam mansionis affert, dicens: in hoc cognoscimus quia in ipso manemus, et ipse nobis, quia de Spiritu suo dedit nobis. Christus ergo pro diligentibus Deum, et pro servantibus mandata Dei rogabit Patrem, non in quantum Deus, sed in quantum homo: alioquin si rogaret ut Deus, iam alio indigens non esset Deus, aut se ipsum frustra rogaret: sed in quantum homo, merito suae conversationis et passionis impetraturum se pollicetur a Patre, ut det apostolis alium paraclitum, qui maneat cum eis in aeternum, Spiritum veritatis. Quis est iste alius paraclitus? numquid duo sunt Spiritus sancti, unus qui iam datus, alter qui dandus erat? Absit. Omnes enim, inquit Paulus, de uno Spiritu potavimus. Et alibi: omnia operatur unus, atque idem Spiritus. Sed quomodo hic alius? Possumus pie interpretari alium dici potuisse paraclitum post ascensionem in specie visibili: non quia fuit alius numero, respectu recepti Spiritus, sed respectu recipientis hominis, alius in nobis, idem in se ipso: quia ut supra diximus, non minuitur aut augetur in se, sed in corde hominis. Datus fuerat etiam ante passionem sanctis apostolis sanctus Spiritus, sed non permansit in illis in aeternum, quia peccasse leguntur apostoli, non solum ante Christi passionem, sed etiam post, et ante ascensionem: Petrus ante Christi passionem, negavit Christum: Thomas etiam qui non credidit post passionem. Consummato autem per mysterium passionis et resurrectionis et ascensionis quasi omni merito Christi conversationis in terris, permansit Spiritus in apostolis, qui amplius non peccaverunt. Verumtamen cum hac ipsa interpretatione non dissentit maior pars interpretantium hanc particulam, ut Christus dicat se rogaturum Patrem, ut ipso discedente, et ascendente in caelos cum carne nostra glorificata, alium praeter se non substantialiter, sed personaliter paraclitum praestet, qui est Spiritus sanctus. Nam et Christus

Paulus

fuerat verus paraclitus et consolator et educator noster ante quam ascendisset in caelos: deinde dedit eis alium consolatorem, hoc est Spiritum sanctum. Et sic exponitur a Iohanne chrysostomo. Ait enim, quod dicere alium, ostendit hypostaseos differentiam; dicere vero paraclitum, ostendit substantiae cognationem. Ioh. chrys.

Sed ut redeam unde digressi sumus rogaturum se pollicetur Salvator, et a Patre impetraturum, ut a Patre detur sanctis apostolis. Et hoc procul dubio non ut Deus, sed ut homo pollicetur: et sic intercessor est non largitor. Et sic recte intelligitur Spiritum sanctum a Christo ut homine intercessore et mediatore, non a Christo ut Deo et largitore, procedere. Ipse, inquam, Pater et Filius unus Deus largitor est Spiritus sancti. Nam si aliter intelligatur Filius mittere Spiritum sanctum a Patre, magnus et perversus error inducitur, ut persona Filii sicut supra diximus, quasi servi et ministri in Spiritus sancti processione sive missione censeatur: quod sanctissimus Cyrillus abhorrens, non solum in sermone ad Theodosium, ut supra retulimus, esse dicitur testatus, sed hoc ipso in loco evangelica verba exponens ait: τῶν γὰρ τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς φυσικῶν ἀγαθῶν οὐσιωδῶς ὑπάρχων ὁ υἱὸς κοινωνὸς, ἔχει τὸ πνεῦμα κατὰ τοῦτον τὸν τρόπον, καθ' ὅνπερ ἂν νοοῖτο καὶ ὁ πατὴρ, οὐκ ἐπακτὸν οὐδ' ἔξωθεν, ἄηθες γὰρ μᾶλλον δὲ μανικὸν τὸ οὕτω φρονεῖν, ἀλλ' ὥσπερ καὶ ἡμῶν ἕκαστος τὸ ἴδιον ἐν αὐτῷ πνεῦμα συνέχει· διὰ γάρ τοι τοῦτο καὶ σωματικῶς ἐνεφύσησεν ὁ Χριστὸς, δεικνὺς ὅτι καθάπερ ἐκ στόματος τοῦ ἀνθρωπείου πρόεισι τὸ πνεῦμα σωματικῶς, οὕτω καὶ ἐκ τῆς θείας οὐσίας θεοπρεπῶς προχεῖται τὸ ἐξ αὐτῆς: idest *naturalium Dei et Patris bonorum Filius substantialiter consors existens, habet Spiritum eo modo quo illum Pater habere intelligitur, non adventitium, neque extrinsecus: stolidum enim immo vero furiosum est sic sentire. Quin immo sicut quilibet nostrum proprium in semet ipso Spiritum continet: et propterea hunc ipsum Spiritum Christus corporaliter insufflavit, ostendens quod sicut ex ore humano procedit Spiritus corporaliter, sic ex divina essentia modo divinae naturae condecenti ex ipsa effunditur Spiritus.* Cyrillus

Sed si diligenter pius lector totam evangelii seriem invicem contulerit, et saepius, quod in divinis lectionibus est agendum, dicta et Salvatoris et evangelistae relegerit, et regustaverit ad sensum adductae particulae, nulla alia interpretatione indigebit: sed ex ipsis evangelii verbis ipse sanctus Spiritus se considerantibus

aperiet intellectum. Rogabo, inquit Christus, Patrem et dabit vobis alium paraclitum; perseverans in promissione; iam enim dixerat, non vos relinquam orphanos. Sed quae sunt verba Christi rogantis Patrem, et iam quod promiserat solventis? Pater, inquit, sancte serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum invicem, sicut et nos. Et paulo post, non pro eis rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, et ipsi in nobis unum sint. Quid sibi volunt haec verba? numquid vult Christus ut creaturae rationales unum invicem sint, sicut in divina essentia Pater et Filius unius essentia sunt? Absit: iam enim in creatura cogitare nefarium est. Sed rogat Christus ut sint unum per unanimitatem in Dei caritate, hoc est Spiritu sancto; qui est dilectio, quae est Deus de Deo, ut diligentes Deum, se consequenter diligant. Unde Iohannes chrysostomus, inquit: quod ait, sicut non est certissimae parilitatis, sed ut hominibus possibile est, sicut creatura rationalis esse potest unum in suo creatore per dilectionem et caritatem, unde idem Chrysostomus hoc in loco ait, et sic in unanimitate sermonem concludit, unde incipit, ibi desinens. Nam incipiens dixerat: mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem. Consolator igitur et advocatus, qui per Christum impetratur a Patre Spiritus veritatis, ipsa dilectio est qua se invicem diligunt Pater et Filius ab aeterno, ante quam ulla omnino esset creatura, qua etiam dilectione creatura ipsa a Patre simul et Filio diligitur ex tempore.

Ioh. chrys.

Quando autem hoc ita se habeat, audite quaeso, Graeci fratres, postrema verba Christi rogantis, et quid rogat, iam aperte dicentis: Pater, inquit, quos dedisti mihi volo, ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi. Pater, iste mundus non te cognovit, ego autem te cognovi, et hi cognoverunt, quia tu me misisti, et notum feci eis nomen tuum, et notum faciam, ut dilectio qua dilexisti me in ipsis sit, et ego in ipsis. Ecce paraclitus, qui per Christum Filium impetratur a Patre, paraclitus inquam Spiritus sanctus, amor Patris et Filii; dilectio qua, inquit, dilexisti me ante quam mundus fieret: non secus ac si diceret, hoc paraclito, hoc sancto Spiritu, hoc amore sive dilectione eos diligas, et hi eadem te invicem diligant dile-

ctione, qua etiam se mutuo diligant, quia diligendo Deum, nos ipsos quoque in Deo diligimus. Haec ergo vera et superna dilectio, quae non est affectio corporea, neque sensualis: non perturbatio, sed quies, et stabilitas humanae mentis, est illud donum Dei, ille consolator, quem dicimus Spiritum sanctum, et dilectionem quae est Deus, et est ex Deo: dilectionem, qua Pater diligit Filium, et Filius Patrem: qua intercedente adhaeremus Deo: et teste Paulo unus Spiritus efficimur cum eo, quia per dilectionem, quae est Spiritus sanctus ex prece et merito Christi, simul cum Deo unum sumus, et inter nos nobiscum unum sumus, et dum Deum diligimus, proximum necessario diligimus. Ex hac itaque particula evangelii videant Photiani sese suis chartulis irretitos, et contra se militare, quod pro se afferunt. Rogatum ex Patre paraclitum a Christo homine, eundem a Christo Deo et Dei Filio procedere; quia dilectio illa aeterna, qua est impetratus a Christo homine Spiritus sanctus, simul a Patre procedit et Filio. Amor Patris et Filii quo se invicem diligunt, et quo a Deo diligimur; quippe quo ad nos venit, et mansionem faciunt apud nos Pater et Filius, quo nos ipsi quoque Deum proximumque diligimus.

Tertia particula, quae ex evangelio Iohannis adducitur, ex eadem digressione, quam fecimus contra photianam pertinaciam, facile reflectitur. Spiritus sanctus, inquit, quem mittet Pater in nomine meo, quia non mittit Pater in nomine Filii, id quod a se procedit in nomine eius, a quo non procedit, immo vero ab eo procul dubio procedit cuius nomine mittitur. Quid est aliud in nomine alterius facere, quam causam vel principium rei factae aut fiendae significare? Deus in nomine suo salvos nos facit, et per gloriam nominis sui liberat nos: in nomine Trinitatis baptisma conficitur: in nomine, inquit, tuo laxabo rete. Ain vero, quid est aliud mittere Spiritum sanctum in nomine Filii, quam ipsum procedere a Filio? Quid, quaeso, innuit nomen in Filio? nonne substantiam, et causam, et principium, et denique ipsum numen Dei? non accidens, aut aliquid vertibile, et creatum: mittitur enim a Filio Spiritus sanctus tamquam a Deo, ut ait Cyrillus, secundum naturam supremae potestatis. Hoc igitur nomen in Christo naturam procul dubio significat supremae pietatis, a qua et mittitur et procedit persona Spiritus sancti. Eodem modo interpretanda sunt Petri apostoli verba, quum dicit: dextera igitur Dei exal- Cyrillus

tatus promissionem accipiens a Patre effudit hunc, quem vere vos videtis et auditis. Accepit enim a Patre, quia illi omnia tradita sunt a Patre, et hoc ipsum traditum est illi a Patre, qui Filio communicavit essentiam, quae spirat Spiritum sanctum, quae non potuit communicari Spiritui sancto, quia nihil se ipsum spirat, sicut essentia et natura generans non potuit communicari Filio, quia nihil se ipsum gignit. Recte igitur sunt Petri apostoli dicta pensitanda: et sicut superius expositum est, Filius non minister aut servus, sed maiestate per omnia Patri aequalis intelligendus est: proprius est enim Filii Spiritus sanctus, sicut et Patris, quemadmodum omnes graeci et latini catholici tractantes asserunt. Quod sive Christus promissionem accepit ut homo, sive ut Deus homo, cui dictum est: postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, profecto Spiritum sanctum non potuit effundere nisi ut Deus. Spiritus ergo sanctus, Deus de Deo Patre, et de Deo Filio, effunditur. Effundi autem et procedere eadem est functio divinae facultatis, quae ab eodem principio derivatur, dum una spiratione, quae est in Patre et Filio, spiratur Spiritus sanctus. Sic etiam Pauli apostoli dicta interpretari catholicus lector studeat, in quibus sicut ubique Spiritus Filii passim appellatur, sic Filius Deus aequalis Patri in mittendo Spiritu sancto, non minister rei alienae, sed largitor propriae virtutis ostenditur.

CAPUT II.

Solutio primi argumenti, quo Photius utebatur in schismatis defensione.

Sed iam ad argumenta veniamus, quibus in sua pertinacia confirmari solet graeci schismatis persuasio: sic enim a principio proposuimus, et quidem omnes (ut est apud Aristophanem lepidum poëtam) pro Philocleone vespas afferemus, quas cum ecclesiis omnibus ipso solo veritatis Spiritu difflabimus, et in exteriores tenebras dispergemus: quod ubi obtinuerimus, nemo tribuat diligentiae meae laudem, sed extollat vim veritatis, cuius sola praesentia solent suae spontis impetu ficta et falsa corruere. Singulatim discutiemus singula: sic enim omnes nodi facilius solvuntur, cum uniuscuiusque explicationi singulatim intenditur. Scire tamen in

primis licet plebeios atque ignaros homines primum illa veri specie deceptos ut putarent a Latinis duo principia in divinis existimari, ut quasi duabus diversis spirationibus Pater Filiusque spirare Spiritum sanctum crederentur, id quod nemo unquam ex Latinis dixit, aut excogitavit. Ex hac ergo primum occasione commune illud in vulgus argumentum protulit Photius, asserens Latinos duo principia in divinis constituere, quia Spiritum sanctum non a Patre solum, sed etiam a Filio, procedere affirmarent: et ob id etiam deducebat contra Latinos, quasi ex hoc cogerentur fateri, Spiritum sanctum esse duplicem et compositum, quia a duobus principiis prodiret. Hoc primum fuit argumentum, quo Photius rudes ac simplices contra Nicolaum pontificem et Latinos irritabat, quod inter eas rationes retulit, quas ipse etiam in scriptis suis contra Latinos redegit: quamvis non ignorabat promptam esse apud Latinos defensionem, qui non id sentirent, quod ipse per calumniam et mendacium referebat, ut Latinos infensiores Graecis faceret. Neque etiam ignorabat Photius ab Augustino hoc esse explicatum, qui libro quinto de Trinitate sic ait: confitendum est Patrem et Filium principium esse Spiritus sancti, non duo principia: sed sicut Pater et filius unus est Deus, et ad creaturam relative unus creator, et unus dominus, sic relative ad Spiritum sanctum unum principium: ad creaturam vero Pater, et Filius, et Spiritus sanctus unum principium, sicut unus creator, et unus dominus. Praeter Augustini dicta lugdunensis et florentina synodus, quas superiore libro retulimus, id declarant.

Hac igitur omissa manifesta et aperta calumnia, ad reliquas rationes transeamus, quas scilicet affirmantibus Latinis unicum esse in Patre et Filio spirationis principium, Photius contra catholicos valere credidit, aut potius alios credere voluit. Primum igitur Photii epichirema contra Latinos tale est. Si Spiritus sanctus simplex est, et a Patre procedit et Filio, Pater et Filius censebitur una persona, et sic fiet personarum commixtio sabelliane vel quasi semisabelliane. Respondendum est Photio, quod ex hac deductione vim hypothetici syllogismi prae se ferente non concluditur quod intendit, quia nihil prohibet Spiritum sanctum esse simplicem substantiam et personam, et tamen a Patre et Filio posse procedere. Nec tamen ob id Patrem et Filium censeri debere unam personam, quia omnis relatio in divinis non est constitutiva personae. Sic enim in Patre in-

telligi deberent duae personae, una per quam censetur Pater Filii, et alia per quam censetur spirator Spiritus sancti. Quod si haec Photii ratio concluderet, intelligere necesse esset in divinis quartam personam, propter proprietatem spirationis activae, quae est in Patre. Sed eiusmodi spiratio sive productio non constituit personam, quia non est proprietas unius personae, scilicet Patris tantum, sed est proprietas Patris communicabilis Filio, quia Pater et Filius unica voluntate producunt, et unica spiratione spirant Spiritum sanctum. Aliter non esset Spiritus Filii, sicut et Patris, nec a Filio sicut a Patre, nec ullo modo diceretur esse per Filium, quod Graeci omnes ex doctrina Photii non negant, et ideo sibi ipsis dissidere coguntur, cogente vi veritatis. Non ergo necesse est ut fiat συναλοιφὴ, idest commixtio personarum, quia Pater non est Pater spiratione, sed paternitate, quae non communicatur personae Filii, quia incommunicabilis est. Quum enim in divinis non sit nisi unus Pater, et unus Filius, non potest eadem persona esse Pater et Filius. Spiratio tamen quae non repugnat, immo vero maxime convenit personae Filii, communicatur Filio: nec ob id sunt una persona Pater et Filius, sed unum principium respectu Spiritus sancti: et ab intra sicut totae tres personae sunt unum principium, sic ab extra respectu totius creationis. Pudeat igitur Photium suae ineptiae, et pertinaciam recognoscat. Sed confodiamus hostem suo gladio, et argumentum Photii contra Photium reflectamus. Nonne fatetur Photius, id quod negare non potest, Spiritum sanctum manare sive scaturire a Filio? Hoc enim est πηγάζειν καὶ ἀναβλύζειν. Quaero a Photio, quid est illud quod manat et scaturit a Patre et Filio? Certe non alius Spiritus, sed idem, qui tertia est in Trinitate persona. Si ergo Spiritum sanctum emanare, prodire, et scaturire a Patre et Filio secundum Photium conceditur, nec tamen ob id censentur duae personae Patris et Filii esse per synaliphen una; militat igitur contra Photium argumentatio Photii, quia falsitas sibi ipsi constare non potest; et qui contra veritatem disserit, et pertinaciae non rationi obsequitur, plerumque se ipso teste convincitur.

CAPUT III.

Solutio secundi argumenti.

Secundus syllogismus Photii eiusmodi est. Si Pater, inquit, spirat Spiritum sanctum, et etiam Filius, sequetur ut Pater ex altera parte sit continuus spirator Spiritus sancti, et sit etiam remotus: continuus quidem, quia a nullo habet ut spiret: et remotus, quia spirat per intermediam Filii spirationem. Ad haec respondeat catholicus: unicam, ut saepe dictum est, esse Patris et Filii spirationem, in qua nihil est continuum aut remotum, quia Filius non spirat tamquam minister, aut instrumentum Patris, sed ex una eademque natura supremae potestatis communicat Filio per aeternam illam et ineffabilem generationem, per quam Pater contulit Filio quicquid in se est, praeter quam esse ingenitum sive esse Patrem. Sciat tamen Photius etiam hanc rationem contra se valere, quia in manatione et scaturigine eadem ipsa posset contra Photium ratio retorqueri. Sed neque hic neque ibi vera est, propter unitatem principii, quod proprie nec continuum recipit nec remotum. Quo pacto autem intelligi debeat in divinis personis continuum et remotum, et quomodo τὸ προσεχῶς, καὶ διὰ τοῦ προσεχῶς, inferius suo loco declarabimus, quum inter se conciliabimus latinos graecosque doctores.

CAPUT IIII.

Solutio tertii argumenti.

Tertio loco induxit Photius hoc argumentum, quo mirabiliter decepit ignaros et imperitos. Si processio, inquit, ex Patre sufficiens est ad constituendam personam Spiritus sancti, supervacua est processio ex Filio: sed processio ex Patre sufficiens est, a quo in divinis nihil indigens est aut imperfectum: solus igitur Pater quum sufficiat ad spirationem Spiritus sancti, non est ex Filio ponenda processio. Sed responsio ex eodem capite quam facillima est, quia non fatemur duas processiones, alteram ex Patre, alteram ex Filio, sed unam, ut saepe diximus, eandemque a Patre,

et a Filio, et in utroque sufficiens et perfecta: una est enim spiratio in duabus personis unica spiratione spirantibus. Sed videat photiana dementia quam parum sibi constet. Retorqueamus in hominem argumentum. Fatetur Photius et omnes pertinaces in Photio, Spiritum sanctum prout est charisma et donum Dei procedere in creaturam temporali processione a Patre simul et Filio: posset ergo in Photium dici, si Pater sufficiens largitor est, cur largitur et Filius? Sed dicet duas esse personas una largitate largientes, quia unum utriusque et ab utroque donum est. Pariter una dicenda spiratio; quia unus et utriusque et ab utroque Spiritus. Quomodo autem Spiritus prout est charisma procedat a Patre et Filio et etiam a se ipso, suo loco ostendetur inferius.

CAPUT V.

Quarta Photii ratiocinatio dissolvitur.

Quartum Photii argumentum hoc est: si Filius habet vim et naturam spirandi, quum Spiritus sanctus illam non habeat, non erit Spiritus sanctus aequalis Filio, sed potestate inferior, quod macedonianae haereseos est. O amentiam singularem! Nihil veritus est Photius adducere contra veritatem, modo imperitam plebem falleret, et secum traheret. An vero nescimus parum etiam imbuti theologicis elementis, proprietatem personarum in divinis non tollere naturae unitatem, neque maiestatis aequalitatem? Sic per te o Photi, Filius et Spiritus sanctus erunt inaequales Patri, quia neque Filius neque Spiritus sanctus generat Filium. Sic Filius qui ab alio, et Spiritus sanctus qui est ab alio, inaequales erunt Patri, qui est a nullo. Aequalitas ergo in divinis attenditur ratione attributorum quae respiciunt essentiam et naturam, puta bonitatem, sapientiam, omnipotentiam, et eiusmodi; non autem ratione attributorum, quae respiciunt personas, sicut generare, genitum esse, procedere, esse ab alio, non esse ab alio, quae competunt personis non essentiae.

CAPUT VI.

Dissolvitur quinta Photii ratio.

Subdit Photius quintum argumentum super eadem harena fundatum. Si eadem, inquit, spiratio Spiritus sancti est in Patre et Filio, communis erit utrique, et sic non erit proprietas. Sed spiratio, qua spiratur Spiritus sanctus est proprietas, quia spiratione Spiritus sanctus est Spiritus, sicut filiatione Filius est Filius, et paternitate Pater est Pater: ergo spiratio erit proprietas, et non proprietas. Sic ergo aut solius erit proprietas Patris, aut solius Filii: aut si est proprietas utriusque, uterque pro sua quasi parte spirabit, quod haereticum et absurdum est. Verum respondeat catholicus ex iis quae iam dicta sunt, nihil prohibere immo maxime necessarium esse in divinis personis quaedam esse propria unius personae, quaedam duarum personarum, quaedam etiam trium, hoc est totius Trinitatis: puta, creare proprium est divinae omnipotentiae, et totius Trinitatis, et tamen non est proprietas et non proprietas simpliciter. Sed proprietas unius personae non est duarum aut trium, et e contra: puta generare, est proprietas Patris solius, genitum esse, est proprietas Filii: spirari, est proprietas Spiritus sancti: et haec quae sunt unius solius personae proprietates constituere dicuntur personas: quae vero non sunt unius, sed plurium personarum, non constituunt personas. Spirare igitur quia est proprium Patris et Filii, non constituit personam: sicut nec esse Deum de Deo, quod est proprium Filii et Spiritus sancti, non constituit personam in divinis: secundum enim omnes graecos theologos, praesertim Basilium et Gregorium nyssenum, quem supra attulimus, in expositione orationis dominicae. Nam Patris proprium est quod a nullo: Filii vero et Spiritus sancti proprium est, quod ab alio sint: et in hoc non convenit persona Patris cum personis Filii et Spiritus sancti: sed personae Filii et Spiritus sancti in hoc conveniunt, et hoc utrique proprium est, quod sunt ab alio, idest a Patre. Spirare igitur similiter potest convenire Patri, et Filio, et esse utriusque indivisa proprietas, quum Spiritus sanctus sit secundum omnes graecos et latinos theologos, immo secundum evangelium, Patris et Filii, et a Patre et Filio, et missus ab utroque,

secundum Basilium in libro ἀντιῤῥητικῶν. Τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον δευτερεύει τοῦ υἱοῦ, παρ' αὐτοῦ τὸ εἶναι ἔχον, καὶ παρ' αὐτοῦ λαμβάνον. Idest *Spiritus sanctus secundo loco post Filium est, ab ipso habens esse, et ab ipso accipiens.* Ex quibus aperte constat eandem haberi in Patre et Filio proprietatem, a qua sit Spiritus sanctus. Cyrillus vero, quem superius attulimus, in expositione super Ioël de Filio loquens, ait: ἴδιον αὐτοῦ, καὶ ἐν αὐτῷ, καὶ ἐξ αὐτοῦ τὸ πνεῦμα ἐστίν: *proprium autem ipsius et in ipso et ex ipso est Spiritus sanctus.* Discat igitur Photius quid sit in divinis proprietas, et sicut concedit proprium esse Patris mittere, et largiri Spiritum sanctum, ita et spirare utrique proprium esse concedat.

CAPUT VII.

Sexta Photii ratio dissolvitur.

Sextum Photii epichirema idem cum quarto est, ex eadem erroris labe proveniens. Si, inquit, ab uno principio, qui est Pater, Filius et Spiritus sanctus proveniunt; Filius vero deinceps spirat Spiritum sanctum; quum eiusdem ambo dignitatis sint, quia ex uno principio sunt, Spiritus sanctus similiter spirabit invicem Filium: idem enim Pater utrumque produxit, ut Pater et productor et principium utriusque. Ad hoc superius diximus quartae fallaciae respondentes, in divinis proprietates personarum non tollere unitatem naturae, nec maiestatis aequalitatem. Sed hoc quoque incommodum contra Photium reflectitur hoc pacto. Si ab uno principio, qui est Pater, Filius et Spiritus sanctus proveniunt, Filius vero deinceps mittit Spiritum sanctum, cur non similiter Spiritus sanctus mittit Filium? Cur Filius similiter non dicitur manare, scaturire, splendere a Spiritu sancto? quod concedit Photius: et tamen non ob id putat detrahi personae Spiritus sancti, nec ob id inaequales Filium et Spiritum sanctum debere existimari.

CAPUT VIII.

Septima et ultima Photii argumentatio diluitur.

Septima et ultima Photii argumentatio summam sibi proponit, et vendicat falsitatem. Omnia, inquit, quaecunque communicat Pater Filio, eadem etiam communicat Spiritui sancto. Si ergo Pater communicat Filio spirationem, communicat etiam illam Spiritui sancto: hoc autem falsum est; ergo et illud ex quo deducitur quod scilicet communicet Filio spirationem. Sed quis tibi, o Photi, concessit maiorem propositionem, ut omnia quaecumque Pater Filio communicat, eadem Spiritui sancto communicet? Ex doctrina christianae theologiae communicat omnia quae ad essentiam et naturam pertinent, sed quae relativis oppositionibus distinguuntur, incommunicabilia sunt. Pater igitur communicat omnia quaecumque habet praeter quam esse Patrem; quia repugnat Filio, in quantum Filius, ut sit Pater: cui tamen non repugnat esse spiratorem, quod repugnat Spiritui sancto: quia non potest esse spirator et Spiritus, neque Spiritus sui ipsius, nec a se ipso, sicut est Spiritus Filii, et a Filio.

CAPUT IX.

Quam perniciose et insulse aberraverint, qui post Photium tueri schisma procurarunt.

Hactenus photianas viperas catholicis antidotis extiuximus: tametsi facile fuerit rationes ex pertinacia atque ambitione non ex veritate catholica inductas demoliri, cum quibus etiam multa protulit περὶ τῆς προσθήκης, idest de additione facta in symbolo, et de nicaena synodo, de quibus superioribus duobus libris abunde disseruimus. Verum non defuere post Photium plerique, quibus concordia romanae et constantinopolitanae ecclesiae displiceret, ex ea praesertim causa, quae superiore volumine satis explicata est: quo impulsu post Photium Phrunes nescio quis, et Nicolaus methonensis antistes, et Theophylactus bulgariensis, et Ioseph Briennius, et postremo Marcus ephesins contra Latinos de Spiritus sancti proces-

sione scripsere, in quibus nescio maiora ne deliramenta an portenta legantur. Fateor me omnes vehementi studio perlegisse, Deus bone! quanta caecitate, in quantas foveas concidunt, quot falsa pro veris assumunt! Nolo singulatim larvas, quibus catholicos et latinos territant, adducere. Satis sit principem pertinaciae, et inventorem sceleris Photium cominus irruentem prostravisse. Sit hoc divini muneris et verum charisma Spiritus sancti, de cuius bonitate et clementia factum confido, ut qui haec legerit, quae ad Internam Christi lucubravimus (absit verbo invidia) quam facillime e sparsis ubique rationibus et sententiis prostratos cum Photio photianos omnes animadverterit. Veruntamen quaedam etiam adducenda sunt, quae praeterire non convenit, ne quantum in nobis est, aliquid negligenter omissum, aut de industria silentio involutum existimetur.

CAPUT X.

Diluitur calumnia ex evangelio perperam surrepta pro schismate refovendo.

Errare ac decipi Latinos scioli ex photiano schismate putaverunt in ea particula evangelistae Iohannis, in qua dicitur omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et alibi: omnia quaecunque habet Pater, mea sunt. Ex qua deducere solent Latini, quod spiratio etiam pertineat ad Filium, quippe quam habeat Pater. Dicunt ergo nos decipi, quia dictum illud, omnia quaecumque habet Pater mea sunt, intelligendum de iis quae pertinent ad essentiam, non de iis quae pertinent ad proprietates, hoc est de essentialibus non de personalibus attributis. Sed spirare cum personae sit, non essentiae, non communicatur Filio, quia proprietas non communicatur. Ad ea, quae superius contra Photii epichirema exposuimus, facilis responsio est: quia quaedam sunt propria unius personae, quaedam propria duarum personarum, ut ibi dictum est: quod etiam suadetur ratione maxime probabili: nam immensa illa et ineffabilis bonitas, cuius principium fons et origo in Patre est, prius in se et in sua natura communicabilis est, quam ullo modo in creatura communicetur. Bonum vero quanto communicabilius est, tanto perfectius esse non ambigimus. Pater ergo omnia

communicat Filio et Spiritui sancto, quae Filio et Spiritui sancto convenire possunt, propter immensam et summe communicabilem bonitatem. Communicat igitur omnia sua Filio. Quum dico sua, intelligo propria, quae ita personae Patris sunt propria, ut non repugnent personae Filii, in quantum est Filius. Et propter eandem immensam bonitatem, paternitatem quoque ipsam communicaret Filio, si proprietas esset illi communicabilis.

Haec procul dubio in nobis naturalis affectio est paternae voluntatis, et propria archetypi Patris intentio, ut faciat imaginem, et generet filium, non solum sibi, quantum fieri possit, aequalem, sed etiam si fieri posset, meliorem. Sed in divinis imago refert archetypum perfectissima et ineffabili similitudine: et hoc solo ab archetypo imago differre videtur, quod imago, in quantum imago, non est archetypum: est enim ibi et identitas et unitas essentiae: infinita vero ratione distat increata paternitas in Deo a creata paternitate, quae est in homine: in divinis alius Pater, alius Filius, sed non aliud Pater, aliud Filius; in homine non solum alius pater, alius filius, sed etiam aliud pater, aliud filius. Refert etiam in homine filius patrem, sicut imago archetypum; sed non est idem cum archetypo, nisi quia est eiusdem speciei. Pater igitur in divinis generat Filium sibi aequalem, et omnia dat Filio quaecumque habet, dum ipsum generat, sed non dat illi paternitatem. Pater homo dum generat, ex instituto paternae affectionis generat filium in specie aequalem, sed quia homo ex accidente bonus et melior est, non est in omnibus patri aequalis; sed aliquando melior, aliquando peior patre: Deus vero natura bonus, et super omne bonum est. Sed pater homo, quia est pater, et imago veri Patris, et illius Patris a quo omnis paternitas in caelo et in terra nominatur, ex affectu naturali paternae voluntatis, cupit gignere filium non solum sibi aequalem, sed se ipso, ut diximus, meliorem. Quis enim Pater est, qui non velit gignere filium se ipso per omnia meliorem, et etiam, si fieri posset, angelum? Sed Pater in divinis generat Filium sibi aequalem, nec cupit se maiorem aut meliorem gignere, quia se Patre nihil esse potest maius aut melius. Sed dum aequalem et sibi similem generat, similem quidem generat non ea similitudine, quae est in genere qualitatis, sed ea similitudine, quae est in genere substantiae; quae non est similitudo, sed identitas ineffabilis incomprehensibis, de qua apud Esaiam dicitur: generationem

eius quis enarrabit? Est enim, ut scriptum est, candor lucis aeternae, et splendor gloriae, et figura substantiae Dei Patris. Quibus verbis sacra scriptura illud in primis explicare nititur, ut Pater dum Filium generat, omnes illi gradus suae perfectionis conferre intelligatur; ut hoc solo differre a Patre noscatur Filius, quia a Patre est, non Pater a Filio: nec enim est candor aut splendor in luce aliquid imperfectius luce, sed differre videtur a luce, quia candor a luce est, non lux a candore.

Hoc intelligit in aenigmate mens humana iuxta vires suae imbecillitatis: et sic omnia quaecumque habet Pater, in Filio considerat, etiam ipsam spirationem, quae (ut saepe diximus) non repugnat Filio in quantum est Filius. Sic igitur intelligimus quae dicuntur in evangelio: Pater quod dedit mihi, maius omnibus est: et omnia mihi tradita sunt a Patre meo: et omnia quaecumque habet Pater, mea sunt: et alia eiusmodi ex ipso Christi salvatoris ore prolata: quae de Filio leguntur, non de Spiritu sancto, non alia de causa, nisi quia spirationis activae principium communicabile est Filio, quod non est communicabile Spiritui sancto. Ergo, inquies, inaequalis est Filio Spiritus sanctus? Absit. Sed in origine et dignitate personali, non in natura aut essentia, potest intelligi aliquid in Patre et Filio, quod non habeat Spiritus sanctus, quia in Patre et Filio unum principium est Spiritus sancti: qui Spiritus sanctus in divinis non est principium, ut supra diximus, ab intra: quia nihil habet increatum, quod ab se procedat aut dependeat, licet ab eo procedant omnia creata ab extra: sicut etiam procedunt a Patre et Filio, quia respectu creaturarum indivisa sunt, secundum theologos, universa opera Trinitatis.

CAPUT XI.

Respondetur obiectioni quae ex verbis Dionysii male perceptis principium sumpsit.

Verum ex eo de quo diximus in Patre esse principium, fontem, atque originem ineffabilis bonitatis, quum secundum omnes Filio communicetur per generationem, et Spiritui sancto per productionem, sive spirationem, quidam insurgunt, et se contra Latinos erigunt dicentes: si in Patre solo est fons et origo totius di-

vinae bonitatis, haec profecto proprietas Patris est et non Filii. Adducunt Dionysium, et reliquos theologos affirmantes in solo Pa tre esse principinm totius divinitatis, id quod nemo negare potest. Cui obiectioni quam brevissime respondendum est, quod esse principium, fontem, et originem, Patri quidem ut proprium competit, quia a se ipso habet quicquid habet solus, et quicquid cum Filio habet: atque hoc pacto catholica et vera propositio est, simpliciter et in omnibus modis: ergo esse principium, et fontem, et originem, non est proprietas Patris, quia Filius ipse quoque principium est, qui de se ipso dixit, principium qui et loqnor vobis: sed proprietas est haec ipsa ipsum esse a se ipso. Esse igitur spiratorem, ingenitum, et quicquid spiret, sive producat Spiritum sanctum, hoc habet a seipso, proprium quidem ex persona Patris; sed spirare, sive procedere simpliciter non est proprium personae Patris. Proprinm ergo potius dicemus esse Patris spirare per Filium; proprium vero Filii spirare de Patre; spirare simpliciter utrinsque: sicut etiam dixit de Spiritu sancto, quem ego mittam vobis a Patre: ut una eademque proprietas in Patre innascibiliter, in Filio nascibiliter, consideretur.

CAPUT XII.

Dissolvitur prima obiectio, quae ex scriptis Iohannis damasceni traxit originem.

Ex iis omnibus pariter aliud quod obiicitur solvi potest. Affertur enim ex Iohanne damasceno praeclaro quidem inter graecos theologos, sed qui magno etiam apud Latinos in pretio est. Is de Spiritu sancto loquens, ait: τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς λέγομεν, ἐκ τοῦ υἱοῦ δὲ οὐ λέγομεν: idest *Spiritum sanctum ex Patre dicimus, ex Filio non dicimus.* Recte igitur et pie pensitanda sunt verba huius sancti et docti viri: non enim probo qui hominis auctoritati quasi detrahunt, quum dictum hoc sic intelligunt ut se offert, et sentire se malle cum Basilio, Gregorio, Cyrillo, et Chrysostomo, et ceteris omnibus doctoribus graecis affirmant, quam cum solo Damasceno: apud enim nullum aliorum hoc reperias, immo omnes infinitis prope locis Spiritum sanctum esse Filii, et a Filio asserunt, ut superiore libro satis patere potuit. Sed ne tan-

tus vir dissentire tam facile dicatur a ceteris doctissimis sanctissimisque scriptoribus graecis, non obvio et exposito sensu interpretandus est. Nam si recte intelliguntur verba illa Damasceni, non excludunt omnem, ut ita loquar, dependentiam Spiritus sancti a Filio: sed quum ibi agat de principali Spiritus sancti origine, eum a Patre dicit esse, non a Filio. Sed una eademque origo, quae in Patre principaliter est, non principaliter est in Filio. Sic ergo intelligenda sunt Damasceni verba; nam aliter et sibi ipsi, et Basilio, Athanasio, Cyrillo, Gregoriis nazianzeno et nysseno, reliquis graecis doctoribus contrarius videretur: id quod ego profecto cogitare non audeo.

Hoc pacto etiam Latini Spiritum sanctum a solo Patre dixerunt. Hoc enim eleganter explicat Augustinus libro quintodecimo de Trinitate, qui ipse quoque hoc pacto Spiritum sanctum a Patre non a Filio esse concludit his verbis: in Trinitate non dicitur verbum Dei, nisi Filius; nec donum Dei, nisi Spiritus sanctus; nec de quo genitum est verbum, et de quo procedit principaliter Spiritus sanctus, nisi Pater: ideo autem addidi principaliter, quia et de Filio Spiritus sanctus procedere reperitur. Sed hoc illi quoque Pater dedit non iam existenti, et nondum habenti, sed quicquid unigenito verbo dedit, nascendo dedit. Sic ergo eum genuit, ut etiam de illo donum commune procederet, Cyrillus et Spiritus sanctus Spiritus esset amborum. Idem beatus Cyrillus affirmat, quum in libro thesaurorum ait: ὡς τρεχούσης εἰς τὸ γέννημα φυσικῶς τῆς πατρικῆς ἰδιότητος, τοῦτο καὶ αὐτὸς ὑπάρχων κατ' οὐσίαν νοηθήσεται ὅπερ ἂν εἴη καὶ ὁ γεννήσας αὐτόν. Idest *tamquam naturaliter currente in prolem paterna proprietate, hoc et ipse scilicet Filius existens secundum substantiam intelligeretur, quod utique est is, qui eum genuit.* Idem Cyrillus in eodem libro, ubi dictum illud Pauli interpretatur dicentis: vos non estis in carne, sed in Spiritu, siquidem Spiritus Dei habitat in vobis; si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius: sic ait: πνεῦμα γὰρ ἀποκαλέσας αὐτὸ τοῦ Θεοῦ, εὐθὺς αὐτὸ καὶ πνεῦμα λέγει Χριστοῦ· δεικνύων μὲν ὅτι πάντα τὰ τοῦ πατρὸς ἴδια διαβαίνει φυσικῶς καὶ ἐπὶ τὸν ἐξ αὐτοῦ γεννηθέντα υἱόν. Idest *Spiritum ipsum quum dixisset Dei, confestim dicit ipsum Spiritum Christi, ostendens quod omnia quae Patris propria sunt, naturaliter transeunt in Filium, qui ex Patre genitus est.* Ex quibus pariter verbis concluditur, sic Patrem genuis-

se Filium, ut in eum haec spirandi proprietas paterna concurreret. Sed de Damasceni dicto, quod nutritores schismatum velut vexillum suae pertinaciae proferunt, latius suo loco disseremus, quum idem revera Graecos et Latinos sentire docebimus.

CAPUT XIII.

Refellitur secunda obiectio ex Damasceno sumpta.

Subit hoc loco aliud Iohannis damasceni dictum, quod plenissimum quidem est excellentis mysterii, nec satis ab ista eruditula Ephesianorum plebecula intellectum. Hoc etiam contra Latinos adducunt, neque quid adducant, vident; utinam viderent! utinam saperent, et intelligerent! Deus bone! quam crassus error, quam affectatus, quam stupidus! suis sese armis vulnerant, suis se retibus implicant, dum pro sua pertinacia afferunt, quod contra se reflecti potest. Sed videamus quid sibi velit sanctus vir, et simul sub eodem discamus. Iohannes igitur damascenus, vir sanctus, et in doctrina diligens, loquens de Spiritus sancto, sic ait: virtutem dico substantialem ex Patre provenientem et in Filio requiescentem. Nihil, inquiunt Ephesiani, procedit, in quo quiescit; sed Spiritus sanctus quiescit in Filio; igitur Spiritus sanctus non procedit a Filio. Ratio quidem epichirematis rite constat: sed obsecro, quis concessit propositionem maiorem, ut nihil procedat ab eo in quo quiescit? An forte putas ita quiescere in Filio Spiritum sanctum, sicut lapis in angulo? aut sicut terra in centro? aut sicut aeger quiescit in lecto? An vero quietem in Deo tibi fingis, quae sit privatio motus? aut quae intermedia motuum est? Facessant a mentibus vestris ista portenta. Alia ratio quietis et motus in Deo est, quae est non solum super omnem quietem et motum, sed super omnem causam. Quum igitur dicimus Spiritum sanctum quiescere in Filio, nihil aliud dicimus, quam Deum quiescere in Deo: et procul dubio verius dixeris esse et pendere a Deo, quicquid quiescit in Deo: et pari ratione quicquid quiescit in Filio, esse a Filio. Igitur ex hoc ipso quod Spiritus sanctus dicitur quiescere in Filio, colligi verissima ratione potest Spiritum sanctum procedere a Filio. Quid est aliud quies in Deo, quam ipse Deus in se manens, et in se consistens, in quo ineffabiliter quiescunt omnia? Movet enim Deus

omnia, et secundum antiquos philosophos motu amoris et desiderii, cuius quies sola in Deo est.

Dionysius Audi Dionysium Pauli apostoli discipulum ex arcano divinitatis de motu et quiete Dei disserentem, quem Iohannes Damascenus ubique sequitur in exprimendo mysterio Trinitatis. Quid aliud docet per divinam quietem intelligi debere, quam quod Deus in se ipso maneat, et immobili identitate consistens operetur omnia in omnibus? Inquit enim: αὐτὸς ἐστὶν ὁ τῆς πάντων στάσεως καὶ ἕδρας αἴτιος, ὁ ὑπὲρ πᾶσαν ἕδραν καὶ στάσιν καὶ ἐν αὐτῷ πάντα συνέστηκεν, ἐκ τῆς τῶν οἰκείων ἀγαθῶν στάσεως ἀσάλευτα διαφυλαττόμενα: *ipse*, inquit, *Deus est quietis, et sedis omnium rerum causa, qui est super omnem quietem et sedem, qui in se ex suorum bonorum quiete omnia incommota et custodita constituit.* Hac quiete quiescit Spiritus sanctus in Filio, Deus in se ipso manens, Deus de Deo Patre, et de Deo Filio, et Deus in Deo Filio. Amor enim Dei est ipse Deus, quo Pater diligit Filium, qui procedit a Patre et requiescit in Filio: non quod prius Pater amaverit Filium quam Filius Patrem, quum Filius sit Patri consubstantialis et coaeternus, sed quia Pater ingenitus est, Filius genitus, et prioritate originis, non temporis, amor procedit a Patre, et requiescit in Filio: quia amor Dei in sapientia Dei conquiescit, et immobili identitate consistens in se ipso perfectus est, et operatur omnia in omnibus. Amor procul dubio ab eo procedit, qui amat: sed Pater amat, Filius amat: nam quia Pater ingenitus est, Filius genitus, et ideo Filius a Patre, non Pater a Filio, hoc ipsum habet a Patre, quod amat Patrem, et quod a se procedit amor, quo amatur a Patre, et quo amat Patrem. Hic est nexus ille ineffabilis suavitatis, amor, et donum Patris et Filii, Spiritus sanctus: qui profecto ideo quiescere in Filio dicitur, quia nusquam totus divinus amor recipitur nisi in Filio, qui solus est capax tanti muneris, et quasi adaequatum divini amoris obiectum. Nulla autem singulatim creatura capax est totius amoris Dei, immo neque omnis simul creatura: et ideo dicitur Spiritus sanctus dari creaturae secundum mensurae suae perfectiones, sed Filio Dei secundum sui plenitudinem absque mensura. In solo ergo Filio quiescit Spiritus sanctus, quia in solo Filio quiescit amor Dei ubi totus excipitur. In creaturis non potest quiescere amor Dei, quia tametsi totus offertur, non tamen totus exci-

pitur, quia infinitum a finito non potest excipi, nec infinitum in re finita quiescere.

Alia etiam ratione dici potest quiescere Spiritus sanctus in Filio, quia si loquamur proprie, Pater non ultra amare dicitur Spiritum sanctum: nam quum Spiritus sanctus sit amor Patris et Filii, non proprie amari potest, quum sit id quo se invicem amant Pater et Filius. Totus igitur, ut supra diximus, excipitur et requiescit Patris amor in Filio: quia si dixerimus Patrem ulterius amare Spiritum sanctum, vere fortasse dictum erit, sed non proprie, quia nil aliud infert, quam si dixeris Patrem amare amorem, quo diligit Filium, et quo Filius diligit Patrem: quod ubi proprie dici posse concesserimus, verendum est ne quaeratur a nobis, quo amore iterum iste amor ametur, et ad indefinita progredi cogamur, et quasi in Deo asserere personas infinitas, et ideo nusquam, quod meminerim, in sacra scriptura legitur Patrem aut Filium amare Spiritum sanctum, quum saepissime legatur in evangelio Patrem diligere Filium, et diligi a Filio. Provenit ergo Spiritus a Patre, et requiescit in Filio, et tamen ab utroque procedit, quia amor pariter procedit a Filio, dum Filius amat Patrem: sed requiescit in Filio, quia communicata per generationem spiratione, non ad mensuram, sed secundum sui plenitudinem Filio universus divinus amor infunditur. Proinde a Cyrillo in libro thesaurorum eleganter de gratia Spiritus sancti dictum est: ἀρχὴν γὰρ ἡ χάρις λαβοῦσα ἀσφαλῶς μένει ἐν τῷ Χριστῷ· διαπέμπει δὲ καὶ εἰς ἡμᾶς τὴν ὁμοίωσιν, ὅτι ἐν αὐτῷ ἐσμὲν καθὸ ἄνθρωπος γέγονεν. Idest *principium enim gratia accipiens firmiter manet in Christo, dimittit etiam in nos similitudinem, quia in ipso sumus, quatenus homo factus est.* Gratia itaque Spiritus sancti accipit principium in Filio, in quo etiam constanter manet, quia tota ibi, ut diximus, secundum sui plenitudinem conquiescit. Quiescit igitur in Filio, in quo etiam habet principium. Filius vero per mysterium carnis assumptae nos adoptionis Filios efficiens, similitudinem eius gratiae, quam ipse habet, nobis confert: quia quod ipse habet secundum totam sui plenitudinem, nobis secundum mensuram nostrae latitudinis impartitur. Hoc est quod de quiete Spiritus sancti in Filio catholice sentiendum est: qua in re si nunc Graecia suos auctores posset legere, minus fortasse laboris habuissemus.

Cyrillus

CAPUT XIIII.

Retorquentur in Schismaticos tela quae de corruptis Basilii et Gregorii nysseni codicibus in Catholicos iartabantur.

Removendus etiam a nobis est quidam ephesianus aculeus, qui ex magno pertinaciae diverticulo provenit. Basilius enim inter graecos theologos merito tantae auctoritatis et nominis est, ut quem olim Plato inter graecos philosophos, eum inter graecos theologos locum sibi vindicaverit. Is contra Eunomium ita libro ἀντιρρητικῶν apertissime explicat Spiritum sanctum a Filio procedere. Dictum huius sanctissimi et eruditissimi viri, quod concisum superius retulimus, hoc loco fusius recitabimus. Ea particula ita se habet. Τίς γὰρ ἀνάγκη εἰ τῷ ἀξιώματι καὶ τῇ τάξει τρίτον ὑπάρχει τὸ πνεῦμα, τρίτον εἶναι αὐτὸ ἐν τῇ φύσει; ἀξιώματι μὲν γὰρ δευτερεύει τοῦ υἱοῦ, παρ' αὐτοῦ τὸ εἶναι ἔχον, καὶ παρ' αὐτοῦ λαμβάνον, καὶ ἀναγγέλλον ἡμῖν: *quae*, inquit, *necessitas est, si dignitate et ordine Spiritus sanctus tertius sit, ipsum quoque tertium esse natura? Dignitate quidem enim est secundo loco post Filium, ab ipso habens esse, et ab ipso accipiens et annuncians nobis.* Huic particulae, quum adducta fuisset a Latinis in florentina synodo, aliter respondere non potuit Marcus ephesius, quam ut impudenter diceret depravatos esse Basilii codices a Latinis. Attulit ex sua penu librum, in quo non erat παρ' αὐτοῦ τὸ εἶναι ἔχον. Super huius particulae controversia plurimi dies cum magnis altercationibus frustra consumpti sunt, prolati plures codices antiquioris notae: graecus additam particulam asserebat, contra latinus integrum codicem contendebat.

Miror profecto inter doctos viros cur tamdiu in ea re disputatum sit, quasi super hac linea tota controversia consisteret: quasi sine librorum inter se comparatione probari non posset, integrum esse simul codicem, et sensum auctoris. Contendebat Eunomius Filium Patri omnino esse dissimilem, et Spiritum sanctum nihil habere commune cum Patre et Filio: et quia dignitate et ordine post Filium ponebatur, ita quoque illum alterius naturae censebat. Respondens Basilius non repugnare ostendit, ut dignitate et ordine personali Spiritus sanctus secundo loco post Filium, et tertio post Patrem habeatur;

quorum tamen una sit substantia et natura: hoc probans, quia Spiritus a Filio habeat esse, et ab ipso accipiat, et annuntiet nobis: sic naturam et potestatem aequalem ostendens, quum τὸ εἶναι, idest Spiritum esse, unum utrinsque sit: sed a Filio differre, quia Spiritus ab ipso habeat esse, et annuntiet nobis: innuens simul ob id quod ab ipso habet esse, processionem aeternam: ob id vero quod accipiat, et annuntiet nobis, processionem temporalem. Legat diligens et studiosus lector totam seriem eius particulae: ita eam sibi constare, et per omnia quadrare animadvertet, ut sine illa particula sensus imperfectus relinquatur. Hoc numquam dixit Photius, qui ipse quoque dictum Basilii in suo sensu recognovit, et sensisse cum Latinis dixit, et id evenisse Basilio affirmat quod multis aliis et doctis et sanctis viris aliquando evenit, ut in quibusdam non recte senserit, quamvis alioquin magnum in ecclesia et doctrinae et sanctitatis nomen adepti sint, inter quos nominat Dionysium alexandrinum, et Methodium patarensem, quorum in plerisque dicta ecclesia non recipit, tametsi in aliis non laude solum sed etiam admiratione digni existimentur. Ergo temporibus Photii sic legebatur Basilii codex, ut est in synodo allatus, integer, et purus, non abrasus, aut expunctus. Sed post tempora Photii invalescente schismatis pertinacia, quum tanti viri auctoritate premerentur, ad id diverticulum quidam confugere non erubuerunt, ut expungendum dictum illud Basilii dicerent, tamquam non esset auctoris. Ego de industria complura exemplaria undique conquirens, sic ubique scriptum reperi, uti prae se fert et mens auctoris, et ordo periodi: παρ᾽ αὐτοῦ τὸ εἶναι ἔχον ϗ παρ᾽ αὐτοῦ λαμβάνον ϗ ἀναγγέλλον ἡμῖν: idest, *ab ipso habens esse, et ab ipso accipiens, et annuncians nobis.*

Sed quum etiam in homilia Gregorii nysseni in orationem dominicam, ut supra attulimus, aperte de Spiritu sancto dicatur: τὸ δὲ πνεῦμα τὸ ἅγιον ϗ ἐκ τοῦ πατρὸς λέγεται, καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ εἶναι προσμαρτυρεῖται: idest *Spiritus sanctus et ex Patre dicitur, et ex Filio esse testimonio comprobatur*; quaedam ortae vespae ex Photii cadavere, Photio ipso importuniores, id quod Photius numquam cogitavit, non sunt veritae, hoc sancti viri dictum suis aculeis impetere, quia Basilii dicto consonum pertinaciam schismatis redarguebat, et occasionem paci ecclesiarum praestabat; et ubi dicitur ἐκ τοῦ υἱοῦ, ipsam ἐκ praepositionem abrasere, ut diceret non ἐκ τοῦ υἱοῦ: idest *ex Filio*, sed τοῦ υἱοῦ, idest *Filii*, ut Spiritus sanctus non ex Filio, sed Filii, legere-

tur. Sed nos quoque plura exemplaria comparantes, in quibusdam illud ἐκ temere et stulte abrasum vidimus, quae temeritas, et stultitia multis annis ante florentinam synodum non Romae, non in Italia, aut Gallia, sed in constantinopolitana civitate repressa est, habito conventu doctorum virorum apud Iohannem patriarcham, assistentibus pontificibus Nicolao Chalcedonis, Meletio Atheoarum, Nicandro Larissae, Leone seroneosi, Theodoro Chersonis, Theodoro Subdeae, Nicolao Proconessi, Leone Beroeae episcopis, cum quibus etiam interfuere primores ex urbis nobilitate et familiaritate principum: productis codicibus, et suadente ratione, ἐκ τοῦ υἱοῦ, idest *ex Filio*, dici debere ostensum est: referendarium quendam et omnes qui praepositionem illam ἐκ abrasione deleverant, constat publice petisse veniam suae temeritatis. Extat graeci huius conventus narratio, quae Deo volente in meas manus incidit, cuius initium hoc est: καὶ θρὶξ ἐμπεσοῦσα τῷ ὀφθαλμῷ: in cuius fine scribuntur haec verba: ἔδοξε τοῦτο κοινῶς, καὶ ἤδη τὴν σήμερον περατοῦται διὰ τῆς παρούσης συνοδικῆς πράξεως· ὁμολογοῦντος μὲν καὶ πάλιν τοῦ ῥεφερενδαρίου, οὐκ ἀρνουμένου τὸ σύνολον ὅτι τὸ ἐκ, παρ' αὐτοῦ διαγέγραπται· ζητοῦντος δὲ καὶ συγγνώμην ὅτι καθ' ὃν καιρὸν ἀφ' ἡμῶν οὗτος ἐσχίζετο, τὸ τοιοῦτο πεποίηκεν· ὅθεν καὶ ἡ παροῦσα συνοδικὴ πρᾶξις εἰς δήλωσιν γεγονυῖα ἀπετέθη τῷ καθ' ἡμᾶς χαρτοφυλακίῳ, εἰς ἀσφάλειαν μὲν τὴν εἰς ἔπειτα, ὠφέλειαν δὲ τῶν ἐντυγχανόντων τῇ βίβλῳ τοῦ Νύσσης, μανθανόντων ἐντεῦθεν καθαρὰν καὶ ἄδολον τὴν ἀλήθειαν. Idest *decretum hoc pubblice est, et iam hodiernae praesentis synodi actione determinatum, confitente quidem referendario, et rem totam non negante, quod praepositio illa, ex, ab se oblitterata fuerit, et veniam etiam petente quia id fecerit, quo tempore se a nobis separaverat. Unde et praesens synodalis actio in declarationem rei factae reposita est in loco publicarum scripturarum, ad certitudinem posteritatis, et utilitatem eorum in quorum manus Nysseni liber inciderit, ut inde puram absque dolo et fraude veritatem addiscant.*

CAPUT XV.

Solvitur ratio ex responsionibus parata.

Ex his responsionibus, sunt qui aliam argumentationem faciant, et dicant: si Pater communicat Filio rationem principii, quam non

communicat Spiritui sancto, quem Latini non asserunt esse principium nisi respectu rerum creatarum, ergo sequetur quod Filius perfectiorem habeat unitatem, et identitatem cum primo principio, qui est Pater, quam habeat Spiritus sanctus. Sed hoc concedere haereticum est, igitur illud ex quo sequitur. Ad quod respondendum est, quod unitas et identitas in divinis pertinet ad essentiam, et ad naturam, quae non dicitur magis una, nec magis eadem propter proprietates personales, et rationes originis. Non enim Pater, qui est ingenitus, et a se, magis dicitur Deus, aut magis dicitur unus, quam Filius, et Spiritus sanctus, quorum alter est genitus, alter procedens, uterque ab alio, non a se. Principium igitur spirandi, quod non repugnat Filio unigenito, in quantum est genitus, est proprietas personalis, quae in Patre est per modum ingeniti, in Filio autem per modum geniti. Et sicut Filium et Spiritum sanctum esse ex Patre, non facit aliam essentiam, aut unitatem in Patre; sic Spiritum sanctum esse a Patre et Filio, non facit illi maiorem identitatem cum Patre. Esse enim ab alio in divinis personis non dicit divisionem, neque disiunctionem, sed solam originis relationem, qua non variatur essentia divina, sed in natura propria super omnem rationem et seriem ordinis ineffabiliter ordinatur.

CAPUT XVI.

Solvitur ratio fundata super generatione et productione.

Pudet referre aliam rationem, quam adducit sciolus quidam ex photiano schismate, sed tamen referam, ut disputationibus etiam de hac re graecis cerdonibus fiat satis. Pater, inquit, non magis generat Filium, et minus producit Spiritum, sed perfecte et aequaliter generat et producit sive spirat: si solus autem generat, cum alio autem spirat sive producit, ergo magis generabit quam producat. O amentiam singularem! o ignorantiam capitalem! Quaero an magis genitus dicatur, qui sit filius duorum patrum, quam qui unius? Sed respondebit, non potest esse unius pater, nisi unus, quomodo igitur vis, ut hoc pacto aequetur in Deo generatio processioni, si generatio non potest esse, nisi ab uno, processio autem potest esse a pluribus? An vero quia Pater generat Filium et creat mundum, sed solus generat Filium, mundum vero cum Filio et Spiritum sancto creat, dicetur minoris esse potentiae in creando mun-

do, quam in generando Filio, quamvis etiam Filium generet modo ineffabili de sua substantia, mundum autem creet de nihilo? An nescis magis et minus differentias accidentales esse, in Deo autem nihil esse accidentale? Ex eadem omnipotentia Pater generat, et producit, et creat. Nonne concedit Photius et Ephesius a solo Patre mitti Filium, sed a Patre et Filio mitti Spiritum sanctum? Ergone dicetur Pater magis mittere Filium, quam mittat Spiritum sanctum? Videte, quaeso, et animadvertite quas rationes Photiani afferant, in qua doctrina caeci duces caecorum fiant.

HIERONYMI DONATI

DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI

CONTRA GRAECUM SCHISMA

LIBER QUARTUS ET ULTIMUS.

PROOEMIUM.

In omni recta ratione iudicandi illud primum iure exigitur, nequis ante quam didicerit, se id de quo quaeritur, exacte scire sibi persuadeat: hoc enim multorum tardare consuevit ingenia, et omnino impedire, ne ad frugem perveniant, qui magnam scientiae partem attigissent, uisi se iam attigisse existimassent Quod profecto cum in omni genere artis, et doctrinae, tum vero in divina scientia verissimum esse comperio. Haec occulta labes animi veritati simul et caritati contraria, maxima pertinaciae fomenta subministrat: quae sane de Spiritu sancto cogitantibus, et loquentibus, non tam declinanda, quam abhorrenda sunt, et tamquam latebrosa voluntariae caecitatis diverticula fugienda, ut excipiatur lux veritatis, quae undecumque proveniat, non potest nisi a Deo proficisci. Nunc autem demum, Graeci fratres, si nos ex hoc instituto utrimque in Christo dociles exhibere voluerimus, facile videbimus quo pacto concilianda sit haec de processione Spiritus sancti, non dicam inter Graecos et Latinos, sed inter Catholicos Photianosque controversia; id quod ab initio in primo huius operis volumine factu-

ros nos pro viribus polliciti sumus: et latius hoc loco nonnulla explicabimus, quae pressius, et quasi in transcursu in primo volomine attulimus. Verum illud vobis diligenti animo advertendum est, quod Photiani sectatores dum tot evangelicis atque apostolicis, et sanctorum patrum auctoritatibus, et synodorum decretis sese victos et prostratos vident, diverticula semper excogitant, in quae confugiant, et se pertinaciter tueantur; quod dum faciunt, in errorem novissimum peiorem priore labuntur: nam qui singulis tot sanctorum patrum auctoritatibus singulatim respondere non possunt, uno quasi obice omnes in se ruentes impetus conantur obstruere: sed dum vitant Charybdim, in Scyllam incidunt: et qui in sancta matre ecclesia schisma inducunt, ipsum etiam Spiritum sanctum scindere non verentur.

CAPUT I.

Quodnam diverticulum excogitarint Schismatici de Spiritu sancto aequivocatione, et quo pacto inde extrudantur.

Quum anguntur undique ex lectionibus sacrarum scripturarum palam profitentium Spiritum sanctum esse Filii, et a Filio, mitti a Filio, prodire a Filio, scaturire a Filio, accipere de Filio, in hoc divisionis angulo se coarctant, Spiritum sanctum dicentes esse vocem aequivocam, quae plura significet, quia nomen Spiritus significat dona Spiritus, quae et multa, et diversa sunt. Esse enim Spiritum veritatis, adoptionis, sapientiae, prudentiae, consilii, fortitudinis, pietatis, scientiae, timoris, et quaecumque eiusmodi dicuntur dona Spiritus sancti. Significat etiam illum ipsum paraclytum Trinitatis, qui unus est, videlicet Spiritum sanctum. Quum ergo, inquiunt, audimus in sacris scripturis Spiritum sanctum esse a Filio aut procedere a Filio sive per Filium, aut mitti, aut dari, aut effundi, et alia eiusmodi, haec non de ipsa hypostasi, sive de ipso proprie Spiritu sancto intelligenda sunt. Sic enim Spiritus sanctus a solo Patre procedit. Sed considerare debemus dari a Filio ipsa dona Spiritus sancti tamquam eius, qui est unius voluntatis et substantiae cum Filio. Hac divisione quidam ex photiano schismate putavit se eos scopulos declinasse. Sed non sentiens, naufragium fecit: haec enim divisio si recte intelligatur uti-

Chrysostomus lis est, de qua etiam fit a Chrysostomo mentio in tractatu de Spiritu sancto. Ceterum si male intelligitur, et omnibus passim ac sine ulla differentia dictis sanctorum inseritur, reprobum sensum in scripturis generat, et prae se fert ignorantiam capitalem. Et ideo tutius et sanctius est processionem distinguere, Spiritum sanctum non distinguere: quia, ut inquit Paulus, divisiones gratiarum sunt: idem autem Spiritus, qui (ut supra diximus) in se neque minuitur, sed in cordibus fidelium (ut supra libro primo diximus) plus minusve recipitur, iuxta mensuram recipientis animae facultatis.

Quid, quaeso, absurdius quam tot dicere Spiritus sanctos, quot in nominibus sunt habitus dispositionesve virtutum? Hanc absurditatem Paulus effugiens, gratias quidem divisit, sed unum atque indivisum servavit Spiritum. Nam istaec quam faciunt catervam Spirituum, qui sunt habitus ad certam qualitatis speciem pertinentes, non sunt Spiritus sanctus sed opera Spiritus sancti: quae non solum a Patre et Filio, sed etiam ab eodem sancto Spiritu procedunt: quia si exteriora et creata respicimus, quis neget indivisa esse omnia opera Trinitatis, et a tribus personis, tamquam ab uno simplicique principio cuncta creata procedere? Et profecto sicut Pater ante omnem creationem in ipsa aeternitate divinitatis semper fuit Pater, quia iningenitus, et a se ipso, non ab alio; sic Filius semper fuit Filius, ante quam per ipsum homines Spiritu Dei agerentur, et Filii Dei fierent, credentes in nomine eius. Sic procul dubio Spiritus sanctus ante omnem eius processionem temporalem, in ipsa aeternitate divinitatis fuit sempiternum donum sempiternae liberalitatis, antequam ullo modo datum aut infusum esset in rebus creatis quae ratione pollent, et fuit donum tam donantis, quam eius cui donabatur; quia, inquit, omnia mea tua sunt, et tua mea. Fuit ergo donum Patris et Filii, non autem Spiritus sancti, qui in divina essentia non potest esse donum sui ipsius. Licet respectu rei creatae dicitur etiam a se ipso donari; quia quaecumque sunt extra Trinitatis essentiam, ab ipsa tota Trinitate sunt, non ab una sola persona, neque a duabus. Licet enim solum Filium incarnatum dicamus, ipsum tamen incarnationis mysterium non dicitur a solo Filio, sed a Patre et Filio et Spiritu sancto: et sicut solus Filius dicitur incarnatus et factus homo, licet incarnatio sit a tota Trinitate; sic solus Spiritus sanctus dicitur datus et infusus et mis-

sus a Patre et Filio ad sanctificandam creaturam, licet ipsum missionis opus et mysterium sanctificationis sit a tota Trinitate. Sed in missione Filii per incarnationem unio hypostatica facta est Dei et hominis, quae non fit in missione Spiritus sancti.

Neque vero ulla est hac in parte inter Graecos et Latinos differentia, quia utrique geminam esse asserimus Spiritus sancti processionem, alteram sempiternam et ineffabilem, alteram temporalem et magis cognitam, non quia ipsa temporalis sit secundum naturam suam, sed quia facta creatione opus eius coepit ex tempore. Hac igitur processione temporali secundum Latinos et Graecos etiam non catholicos Spiritus sanctus procedere dicitur a Patre et Filio ad sanctificandam creaturam; sed in illa processione aeterna et ineffabili Spiritum sanctum dicunt a solo Patre procedere: et ita se solvere posse existimant omnia dicta sanctorum, quibus Spiritus sanctus a Patre et Filio esse et procedere ostenditur. Sed videamus numquid eos sublevet ista distinctio. Interrogandi sunt Photiani, numquid Basilius hac temporali processione, aut de charismatibus, aut de hac ipsa caterva Spirituum loquebatur, quum dixit id quod primo libro retulimus, *Spiritus sanctus secundo loco post Filium est, ab ipso habens esse.* Numquid item Gregorius nyssenus, quum dixit *sicut coniungitur Patri Filius ab ipso habens esse, non est secundum substantiam inferior, sic ad ipsius unigenitum se habet Spiritus sanctus.* Sed quid Cyrillus ipse quum dixit: *quatenus enim Deus de Deo secundum naturam (genitus enim est ex Deo Patre) proprium Filii est, ut in ipso, et ex ipso sit Spiritus sanctus.* An vero in his locis de donis Spiritus sancti loquebantur sancti patres? Nulla procul dubio ab his patribus habita in his locis est neque consideratio neque mentio temporalis processionis, sed de Spiritu sancto, qui cum Patre et Filio est unus Deus et tertia in Trinitate persona, non temporalis gratia, sed donum aeternum. Possem plura alia dicta sanctorum adducere, nisi haec sparsim in toto opere inseruissemus. Sed haec satis sint, ut videre atque animadvertere possitis, Graeci fratres, quo pacto Photiani huic distinctioni fidentes decipiuntur, et se ipsos seducunt, captivant ingenia, et fidem Christi confunduot, et videntes atque audientes suggerente diabolo, videre atque audire non volunt.

CAPUT II.

Referuntur multa ex sacris litteris, quibus vanitas schismatici diverticuli clarius percipiatur, deprehendique facilius queat nodus conciliandae quaestionis.

Ceterum non impugnemus id quod sua sponte corruit; satis enim sunt sibi sancti Patres graeci theologi, ut se ab huius distinctionis calumnia tueantur, modo et legantur et intelligantur. Sed quia in universum illa sic allata distinctio, et fallax et periculosa est, ideo operae pretium existimamus, pauca de hac ipsa sive Spiritus sive processionis distinctione, ex dictis sacrae scripturae scrutari: plurimum enim id refert non solum ad propositam quaestionem, sed ad id quod magis cupimus, quaestionis conciliationem. Videamus ergo simulque discamus, quid sint haec munera Spiritus sancti, quomodo dentur aut infundantur, quomodo ipse sanctus Spiritus a Patre et Filio procedat in corda fidelium creaturarum. Nam si Spiritum sanctum, quem Graeci omnes asserunt etiam non catholici, in creaturam a Patre et Filio procedere, eundem esse ostendemus Spiritum qui est unus Deus, et tertia in Trinitate persona, non solum illa distinctio in vero intellectu scripturarum servabitur, sed magna ex parte ipse totius difficultatis nodus explicabitur, et apparebit veritas in Spiritu veritatis. Multi ergo sunt et dicuntur Spiritus, sed ego unum tantum audio Spiritum sanctum, a quo est ista, quam faciunt, Spirituum multitudo. Spiritus enim in se ipso manens unus, et unus quidem verius natura quam numero, diffunditur et plurificatur in creaturis, ut variis in locis refert Dionysius. Sed Spiritus sanctus unus et verus Deus simul totus ubique est, et in omni re creata. Scriptum est enim per prophetam: caelum et terram ego impleo. Et in psalmo dicitur: quo fugiam a Spiritu tuo? si ascendero in caelum, tu illic es; si descendero in infernum tu ades. Et alibi: Spiritus Domini replevit orbem terrarum. Sic etiam antiqua gentilitas asseruit: Iovis omnia plena.

Dionysius

Sed Spiritus sanctus qui totus ubique est, quum sit Deus, non tamen omnia ubique significat, sicut omnia ubique replet: non enim significat ea quae sanctificari nata non sunt: nam creatura irrationalis non est apta sanctificationi, licet in ea sit Spiritus sanctus,

immo etiamsi in ea Spiritus sanctus visibiliter appareat. Non enim ignis aut columba sanctificata dicuntur, sub quibus Spiritus sanctus apparuit, quia natura ignis et columbae assumpta non est ut sanctificaretur, sed ut mens humana per sensibilem eiusmodi ostensionem Spiritus sancti magis in Deum experrecta erigeretur. Et ideo in ceteris quidem creaturis etiam irrationabilibus esse dicitur Spiritus sanctus, sed ab his haberi non dicitur, sed tantum a rationabilibus creaturis. Habetur ergo et ab angelo, et ab homine Spiritus sanctus. Quum dico sanctum Spiritum, verum Deum intelligo, et simul donum Dei. Christus enim salvator noster (ut ait Anastasius) Spiritum sanctum de supernis emisit ut Deus, et ipsum inferius accepit ut homo; et ipse idem sanctus Spiritus se ipsum dat ut Deus, et datur ut donum; et Christus ipse dictus est plenus Spiritu sancto, et eundem habuit Spiritum, quem habuerunt apostoli et prophetae. Iesus in evangelio legitur plenus Spiritu sancto, reversus a Iordane fluvio. Sed et Stephanus plenus Spiritu sancto intendens in caelum vidit gloriam Dei. Uterque plenus et Christus, et Stephanus: sed longe alia plenitudo Christi quam Stephani, quia Christus Deus homo, Stephanus Dei homo: idem tamen Spiritus sanctus in Christo, idem in Stephano: plenitudo Spiritus in Christo secundum naturam supremae potestatis, in Stephano secundum mensuram humanae facultatis; illa infinita totum recipit Spiritum infinitum; haec finita, sed tamen plena. Omnes uno infunduntur Spiritu, omnes eadem luce illustrantur. Insufflavit Iesus, et dixit accipite Spiritum sanctum: et mox subdit: baptizate eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Unum, inquit, Paulus apostolus, Spiritum putavimus: et Spiritus sanctus, inquit, qui datus est nobis, datus et a Patre et Filio, sive a Patre per Filium, qui non daretur temporaliter a Filio, nisi ab aeterno naturaliter et substantialiter esset ab eo, velut consorte paternae facultatis.

Anastasius an Athanasius?

Sed dicet aliquis rudior: scinditur ergo Spiritus sanctus, qui secundum omnem sui plenitudinem datus est Christo, et secundum mensuram datus est apostolis. Absit. Eadem enim lux est, quae universum orbem, et quae angustam unam quampiam domunculam illustrat. Spiritus sanctus enim, qui et Christo et prophetis et apostolis datus est, ut inquit Ambrosius in libro de Spiritu sancto, non est de natura rerum corporalium, nec de substan-

Ambrosius

tia invisibilium creaturarum; qui non scinditur, sed infunditur et illabitur animis nostris. Sed quo pacto illabatur et infundatur, audi verba viri sanctissimi. Spiritus sanctus, inquit, quum sit inaccessibilis, receptabilis tamen nobis est propter suam bonitatem, complens virtute omnia, sed qui solis participetur iustis, simpliciter substantia unicuique praesens, dividens de suo singulis, et ubique totus. Incircumscriptus ergo est, et infinitus Spiritus sanctus, qui discipulorum sensus separatim infudit, quem nihil potest fallere. Angeli ad paucos mittebantur, Spiritus sanctus populis infundebatur. Quis ergo dubitet quin divinum sit, quod infunditur simul pluribus, nec dividitur? Unus est Spiritus sanctus qui datus est omnibus apostolis, licet sempiternus. Omnia, inquit Ambrosius, complet Spiritus sanctus virtute sua, sed non participatur nisi a iustis: omnia sane complet qui ubique totus est, qui replet orbem terrarum; multa tamen implet a quibus non participatur, quia a sola creatura intellectuali et rationali participatur, quae quum spreta ratione obsequitur malae inclinatae voluntati ac sensui, quasi inverso et turbato ordine naturali, dona quidem Spiritus sancti possidet, sed non in Spiritu sancto, sine quo dona nihil sunt ad consequendam aeternam felicitatem, quia non habet caritatem, qua Deum diligat, et eum diligendo, omnia illi cooperentur in bonum. Est enim caritas Dei eminentissima virtus, et omnium donorum spiritualium unicum condimentum. Tunc ergo vere Spiritus sanctus (qui semper in nobis est, sive boni sive mali simus, dummodo simus, qui ubique praesens est) habetur etiam et participatur a nobis, quum una cum donis suis ipse sanctus Spiritus datus est nobis, quum diffunditur ipse Spiritus qui est Dei caritas in cordibus nostris. Neque tamen actu omnia simul ista, quae enumerata sunt dona Spiritus sancti ad sanctificandum hominem sunt necessaria, sed ipse Spiritus sanctus, in quo omnia per virtutem eminentissimam continentur, qui solus est una caritas, et vera dilectio, quae Deus est, et Deus de Deo, sicut superius ex verbis Iohannis apostoli coniectati sumus.

CAPUT III.

Confirmantur quae sunt allata: ibique de gratia et donis Spiritus sancti multa copiose tractantur.

Spiritus sanctus igitur, qui verus est Deus, sed Deus de Deo, et donum de Patris et Filii largitate proveniens, qui essentialiter et naturaliter bonus est, et is qui tertia in Trinitate persona est, ipse ille est, qui dat dona, et qui datur ut donum: qui ob id quod a Patre et Filio naturaliter et substantialiter in divina essentia non creatus, non genitus, sed procedens, ab eodem etiam Patre et Filio mittitur, ut infundatur et illabatur mentibus et cordibus nostris, non illa particularia dona, quae affectiones et motus animi, quae si abdicato Spiritu sancto considerarentur, simul conveniunt bonis et malis, iustis atque iniustis, neque tantum malis et iniustis, sed brutis etiam ac stirpibus. Vegetari namque et vivere, videre, audire, et omnino sentire, haec ipsa quoque dona sunt, sicut ingenii sollertia, et prudentia rerum agendarum, et omnium artium et doctrinarum industria; et quae praeterea Paulus apostolus enumerat singulatim, quum ait: si linguis hominum loquar et angelorum: asserens tot dona virtutum, quae et magna et excellentia quum sint, sine caritate, hoc est sine Spiritu sancto nihil sunt ad consequendam gloriam Dei. Nihil enim viriditatis habet fructus boni operis, nisi permanserit in radice caritatis, ut ait Gregorius pontifex; quum etiam saepius haec ipsa dona in perditis et scelestis hominibus reperiantur: et in quibus haec ipsa dona sunt, a Spiritu sancto quidem sunt, sed non habentur in Spiritu sancto, quae vocare possumus (ut ait poëta) ἄδωρα δῶρα καὶ οὐκ ὀνήσιμα, et χάριν ἄχαριν. Tunc autem sunt vera dona, quum in eorum possessionem mittuntur a sancto Spiritu: quoties missus a Patre et Filio infunditur et illabitur mentibus nostris et praesentia non corporali, neque sensibili, neque etiam illa incorporali, qua ubique est, et qua replet orbem terrarum, sed intellectuali et spirituali et gratuita divinae bonitatis participatione mentes nostrae illustrantur, ut haec ipsa dona ex naturalibus motibus animi fiant supernaturales et divinae virtutes: omne enim donum perfectum de sursum est descendens a Patre luminum, ut ait Iaco-

Gregorius PP.

bus apostolus). Haec ergo dona, bona quidem sunt, sed tunc optima et perfecta, quum praesenti Spiritus sancti lumine illustrantur: bona vero et dona eadem dicuntur, quia unumquodque donum hoc ipso donum est, quia bonum: quicquid enim donatur, in quantum bonum est, traditur. Tunc ergo sunt dona perfecta, tunc ad vitam perducunt, quum in possessoribus donorum est gratia Spiritus sancti, hoc est ipse Spiritus sanctus per gratiam. Spiritus enim sanctus, et gratia Spiritus sancti eadem, diversis tamen rationibus, considerantur.

Quomodo autem fiant vera dona quum infunditur et illabitur Spiritus sanctus, ego sane sic ex sacrorum primum dictis, et ex ipsa naturali ratione, coniicio. Omnis habitus et motus animi, quos πάθη Graeci vocant, Latini passiones, sive affectiones, sive magis proprie perturbationes dicunt, si diriguntur a Spiritu sancto, quasi innovatae et regeneratae et in rectitudinem elevatae, sola hac praesentia Spiritus sancti fiunt divinae virtutes. Cor, inquit propheta, mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Quis est, quaeso, is Spiritus, quem in se innovari petit? Non profecto Spiritus sanctus, qui et innovabilis et immutabilis est; sed spiritus hominis rogantis, ut Spiritus sanctus non auferatur a se, cuius Spiritus sancti praesentiâ, spiritus hominis ad terrena incurvatus dirigebatur ad caelestia, et in ipso quasi momento se dirigendi esse videbatur. Confestim enim subdit dicens: ne proiicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Iam enim in eo Spiritus sanctus, qui tanto affectu sua delicta confitebatur: est enim (ut ait Augustinus) Spiritus sanctus in confitente. Et quia certum et non fictum propositum habebat ulterius non peccandi, dixit: spiritu principali confirma me: quia tunc dicitur spiritus principalis, quum ita est in nobis, et in eo ita sumus confirmati, ut non amplius peccemus. Spiritus igitur noster dirigitur et innovatur accedente gratia Spiritus sancti, quia (ut diximus) ipsae passiones etiam animae, quum ad Deum referuntur et a Spiritu sancto diriguntur, non amplius passiones, sed divinae virtutes sunt. Nam omnis affectio animi est circa obiectum boni aut mali, quod aut praesens aut futurum est. Si bonum praesens est, gaudium gignitur; si futurum, spes; si vero malum praesens est, maeror gignitur; si futurum, timor. Haec autem scilicet gaudium, spes, maeror, timor, qui sunt motus animi, et

Augustinus

quasi perturbationes, et fluctus vitae, accedente sive praesente Spiritus sancti gratia, fiunt dona virtutum divinarum: gaudium enim plerumque in rebus passim vanis et malis est, inter scorta, in ganeis, et in comessationibus; spes maxime in avaris et cupidis et ambitiosis habetur; dolor in turpi eiulatu et impudenti querela; timor in defectione animi atque in inconstantia vitae: gaudium tamen, et spes, et maeror, et timor, quae passiones in se sunt, in Spiritu sancto et divina caritate passiones esse desinunt, innovantur, et diriguntur, ét spiritu principali confirmantur, ut non amplius passiones, sed virtutes rectissima appellatione vocentur: verum namque gaudium est in bene actorum conscientia, quod gaudium est in Spiritu sancto per vim caritatis Dei, quae diffunditur in nobis. Unde in evangelio dixit Salvator: ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur. Et apostolus: gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete. Spes ab eodem sancto Spiritu nobis infusa in Deum dirigitur, ut discamus non confidere in hominibus, in quibus non est salus, sed confidere in eo, qui dixit: salus populi ego sum; et qui potest salvare animas nostras. Maerere, ac dolere, et magna quidem virtute possumus in Spiritu sancto, condolentes non solum proximo, sed nobis ipsis in paenitentiae sacramento, in spiritu humilitatis, et in animo contrito. Vera enim contritio et verus dolor contriti cordis suavissimas excitare potest lacrimas in Spiritu sancto, quarum tanta vis est, ut ab his caelum expugnetur, et quasi vi rapiatur. De timore autem quid dicemus, qui sine Spiritu sancto est imbecillitas, in Spiritu sancto est fortitudo? Qui timet Deum, neminem timet. Sancti martyres dum timuerunt Deum, tyrannos et principes contempserunt; mortem, quam philosophi rerum terribilium postremam nuncupant, non formidaverunt, et initium sapientiae est timor Domini, et timor Domini sanctus permanet in saeculum saeculi.

Sed quorsum haec tam longa serie deduximus? non aliam ob causam, nisi ut Spiritum sanctum esse in homine ostenderemus: eum qui est unus et verus Deus, et tertia in Trinitate persona; et palam nobis fieret, sapientiam, intellectum, consilium, prudentiam, fortitudinem, et reliqua eiusmodi, tunc esse vera dona, et vocari Spiritus, quum his utimur, atque ea dirigimus, assistente et cooperante in nobis sancto Spiritu, sine quo non dicuntur Spiritus, sed habitus virtutum, qui communes sunt bonis et malis, et gignun-

tur in nobis velut accidentia in subiecto, et velut habitus qui sunt ex specie qualitatis, qui ex Deo quidem sunt, sed non habentur in Deo, nisi per Spiritum sanctum, qui mittitur in nobis a Patre et Filio: et ideo ab utroque mittitur, quia ab utroque procedit, nec dicitur mitti a se ipso, quia ipse Spiritus mittitur, licet mysterium missionis sit a tota Trinitate, sicut de incarnatione Filii supra diximus, quae a tota Trinitate est, licet solus Filius sit incarnatus. Mittitur ergo Spiritus sanctus in quantum est donum, et mittit in quantum Deus. Mittit ergo et dari dicitur nobis a Patre et Filio, sive a Patre per Filium, sive a Patre in nomine Filii, sive a Filio ex Patre: hi enim omnes modi loquendi figurati et mystici sunt, ut exterius missionem ita significent, sicut processio interius est. Ideo enim mittitur extra in creaturas Spiritus sanctus a Patre et Filio, sive a Patre per Filium, quia in ipsa divina essentia sic est ab utroque. Igitur Spiritus sanctus sic procedens et sic missus, immutabilis et inaccessibilis, quia non mittitur motu locali a termino ad terminum motus, sed per eandem suam naturalem processionem, qua procedit in divina natura, ad nos usque pertingit, non solum per virtutem qua replet omnia, sed per participationem, qua participatur a iustis: quum, inquam, sit missus, ita est in nobis, ut quicquid agamus, quicquid cogitemus accensi ardore divinae dilectionis, in Deum solum referamus, et eum diligendo, omnia in eo diligimus, quae diligenda sunt, etiam nos ipsos. Tunc vere in nobis est Spiritus sanctus, et dona illa cum illo; quae non sunt in nobis vera dona, nisi nobis Spiritus sanctus ipse donetur.

Augustinus — Verum Augustinus libro quinto de Trinitate in hac consideratione digressionem faciens, dicit in nobis esse Spiritum sanctum, qui procedit ex Deo, qui quum datus fuerit homini, accendit eum ad diligendum Deum et proximum, et ipse Deus dilectio est: non enim habet homo unde diligat Deum, nisi ex Deo. Unde et Paulus, dilectio, inquit, Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Et subdit Augustinus: nullum est isto Dei dono excellentius: hoc solum est, quod dividit inter filios regni, et filios perditionis. Dantur et alia per Spiritum munera, sed sine caritate nihil prosunt. Nisi ergo tantum impertiatur cuique Spiritus sanctus, ut eum Dei et proximi faciat amatorem, a sinistra non transfert ad dexteram: neque praeterea

Spiritus sanctus dicitur donum, nisi propter dilectionem; quam qui non habuerit, etsi loquatur omnibus linguis, et habuerit prophetiam, et omnem scientiam, et omnem fidem, et distribuerit omnem substantiam suam, et tradiderit corpus suum, ita ut ardeat, nihil ei prodest. Quantum ergo bonum est, sine quo ad aeternam vitam neminem tanta bona perducunt! Ipsa vero caritas vel dilectio, nam unius rei nomen est utrique, perducit ad regnum. Dilectio ergo quae ex Deo est, et Deus proprie Spiritus sanctus est, per quem diffunditur in cordibus nostris; et Deus caritas, per quem nos tota inhabitat Trinitas. Quocirca Spiritus sanctus quum sit Deus, vocatur etiam donum Dei: quod proprie quid nisi caritas intelligendum est? quae perducit ad Deum, et sine qua quodlibet aliud donum non perducit ad Deum.

CAPUT IIII.

Confirmantur item ex graecis auctoribus quae supra fuerunt allata.

Hoc itaque donum, Graeci fratres, quod in nos mitti et effundi dicitur, et secundum omnes graecos theologos apertissime asseritur prope infinitis in locis, praecipueque a Iohanne damasceno, ἐκ πατρὸς δι' υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι, καὶ φανεροῦσθαι, καὶ μεταδίδοσθαι: idest *ex Patre per Filium procedere, manifestari, et distribui*, sine ulla dubitatione est ipse Spiritus sanctus, qui tam aeterna, quam temporali processione ab eodem termino a quo, scilicet ab uno principio, qui sunt Pater et Filius, procedere dicitur, ea processione, quae respectu termini ad quem, hoc est respectu rei creatae, coepit ex tempore. Non enim nova processione opus fuit Spiritui sancto ut procederet in creaturis, quia nihil novum in Deo est: sicut in Deo non fuit opus novo amore, quo amaret creaturam; sed eodem amore, quo Pater in divinis amat Filium, eodem etiam amat creaturam. Neque praeterea nova quaepiam scientia fuit in Deo post creatum mundum, quaevis novae res scibiles crearentur. Utraque ergo processio una est, quae diversos tantum terminos ad quem respiciat: praesertim quod Spiritus sanctus, ut ostendemus inferius, prius est in se donum ab aeterno, quam sit in nobis donatus ex tempore. Qui ergo concedent Spiritum sanctum manifestari sive mit-

Ioh. dam.

a Patre et Filio, quod idem insinuat sive distribui, sive omnino procedere in creaturas, procul dubio si negant hac eadem processione Spiritum sanctum in divina natura procedere, se ipsos seducunt, et longe a veritate discedunt: quia si novam processionem faciunt, quae sit altera ab illa aeterna et ineffabili, faciant necesse est novam respectu rerum creatarum in Deo scientiam, et novum amorem, novam et benevolentiam, novamque voluntatem: quo quid absurdius sit, et quid magis alienum a theologiae veritate, non video.

Neque vero ego hoc tam audacter assererem, nisi etiam in Iohannis evangelio Christum loquentem audissem, plane affirmantem, se eadem dilectione ab aeterno esse dilectum a Patre qua Pater discipulos eius amare coepit ex tempore. Loquens enim ad discipulos, ait: ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis: postea vero rogat Patrem, ut dilectio qua se Filium dilexit ab aeterno, sive ante quam mundus fieret, sit in suis discipulis, ut superius secundo volumine ostendimus: quae dilectio a Patre et Filio infusa, nihil aliud est quam Spiritus sanctus infusus: quae infusio est ipsa processio, cum qua est bonitas Dei, et sanctificatio nostra, et arrabo participationis regni Dei: quae omnia substantialiter in divina essentia per dilectionem a Patre et Filio, sive a Patre per Filium naturaliter perveniunt in Spiritum sanctum, et per eamdem dilectionem non naturaliter sed per gratiam ad nos usque pertingunt. Quod autem divina bonitas et naturalis, et regalis dignitas in ipsa natura divina sic procedat, audi Basilium merito cognomine magnum. Is enim ad Amphilochium scribens, sic ait: ἡ φυσικὴ ἀγαθότης, καὶ ὁ κατὰ φύσιν ἁγιασμὸς, καὶ τὸ βασιλικὸν ἀξίωμα ἐκ τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ ἐπὶ τὸ πνεῦμα διήκει: idest *naturalis bonitas et sanctificatio secundum naturam, et regalis dignitas, ex Patre per unigenitum Filium pervenit in Spiritum sanctum.* Hic est ordo processionis aeternae, quae in Deo est secundum naturam, in nobis vero secundum gratiam, sed ab eodem principio per eumdem modum procedendi, licet diversa ratione terminandi. Quod si et bonitas, et sanctificatio, et regnum Dei habet ordinem processionis in Deo, quanto magis si Spiritus sanctus est, et dicitur donum Dei, prius est, et dicitur donum in divina natura, quam sit et dicatur donum in rebus creatis? Praesertim quod processione illa aeterna, et ineffabili sic procedebat, ut esset donabilis, et iam erat donum

Basilius

ante quam donaretur. Sic etiam dilectio Dei qua diligebat Filium infundi nata erat in nobis ante quam infunderetur. Qua sane ipsa dilectione et non alia quum diligantur etiam creaturae, quis amplius dubitabit processionem similiter una, non alia, procedere in nobis Spiritum sanctum? sola, ut diximus, termini ratione diversa, quae nullam novam conditionem, nullum accidens ponit in Deo, apud quem omnia futura praesentia sunt.

Processio igitur illa aeterna temporaliter dici incepit, sicut et Deus temporaliter dici incepit Deus, sed tamen Deus erat ante quam a nobis processio esset dicta; sicut amor Dei ante quam cognosceretur in nobis, qui in nobis infusus et cognitus est sine ulla sui mutatione. Absit enim, ut ait Augustinus, ut Deus aliquem temporaliter diligere intelligatur, quasi nova dilectione, quae in ipso ante non erat, apud quem praeterita non desierunt, et futura iam facta sunt. Sic et Dionysius in libro de divinis nominibus affirmat, amorem divinum per excessum amatoriae bonitatis in res creatas educi. Ait enim: αὐτὸς ὁ πάντων ἄιτιος ἂν, καλῷ κὴ ἀγαθῷ τῶν πάντων ἔρωτι, δι' ὑπορβολὴν τῆς ἐρωτικῆς ἀγαθότητος, ἔξω ἑαυτῆ γίνεται ταῖς εἰς τὰ ὄντα πάντα προνοίαις: idest *ipsa rerum omnium causa pulcro et bono rerum amore per excessum amatoriae bonitatis extra se fit per eas quas in res omnes habet providentias.* Vult enim aperte innuere Dionysius, id quod verissimum est, quod processio divinae bonitatis una in se substantialiter existens, in exteriora pervenit. Propter quod etiam paulo ante dixerat: ὅτι τὸ εἶναι τἀγαθὸν ὡς οὐσιωδῶς ἀγαθὸν, εἰς πάντα τὰ ὄντα διατείνε τὴν ἀγαθότητα: idest *esse bonum in Deo, ut est substantialiter bonum, in omnes res extendit bonitatem.*

Augustinus

Dionysius

Sed ego iam Photianos et Ephesianos interrogo numquid haec ipsa processio Spiritus sancti in creaturis, quam concedunt esse a Patre et Filio, sive a Patre per Filium, ex tempore fuerit ante mundi constitutionem in mente divina, quae ipsa Deus est? quam quis negare audeat non fuisse? Paulo apostolo ad Ephesios dicente, et apertissime asserente, omnem eiusmodi processionem divinae caritatis idest Spiritus sancti, ab aeterno in Deo extitisse, quum ait: " benedictus Deus, et Pater domini nostri Iesu Christi, qui " benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus, in " Christo; sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, " ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate; " qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Chri-

„ stum, in ipsum, secundum propositum voluntatis suae, in laudem gloriae suae, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundum divitias gratiae eius, quae superabundavit in nobis in omni sapientia et prudentia. „ In his Pauli apostoli verbis, nisi fallor, Graeci fratres, omnis processio Spiritus sancti in creatura exprimitur, quantum humanis verbis exprimi potest. Quid enim est aliud benedictio Dei in omni benedictione spirituali, qua in caritate per Christum sanctificatur homo, et immaculatus redditur in conspectu Dei, nisi gratia Spiritus sancti, idest ipse sanctus Spiritus, continens in se virtualiter omne donum perfectum? qui ante mundi constitutionem erat in natura divina donabilis nobis, secundum propositum voluntatis Dei, et divitias gratiae eius, quae nihil in se mutata est, sed ex infinita eius opulentia superabundavit in nobis. Non enim quum dicitur in psalmo: Deus refugium factus es nobis, Deo quicquam accidit, quo factus sit quod non erat; sed quia quum esset in se et suae bonitatis natura refugium ab aeterno, nihil ipse mutatus est, sed in nobis facta mutatio est, qui dum ad Deum refugimus, aut ex malis boni, aut ex bonis efficimur meliores. Hinc est quod concludunt, et summa quidem cum veritate latini simul et graeci theologi, quaedam de Deo temporaliter dici sine mutatione deitatis, sed non sine mutatione creaturae; et ita accidens est in creatura, non in creatore.

Eadem ergo processio est, eadem opulentia gratiae, quae est illa
Dionysius ἡ τἀγαθοῦ θεωνυμία, quasi appellatio bonitatis in Deo; quae, ut ait Dionysius areopagita in libro de divinis nominibus, τὰς ὅλας τῆς πάντων αἰτίας προόδους ἐκφαίνουσα, εἰς τὰ ὄντα καὶ εἰς τὰ οὐκ ὄντα ἐκτείνεται: idest *omnes omnium causae processiones ostendens, ad ea quae sunt, et ad ea quae non sunt, extenditur.* Quae sane opulentia gratiae, etiamsi infinitus numerus nondum actu existentium creaturarum ea ditandus esset, nihilominus semper integra in sua aeternitate procederet: quia haec processio divinae gratiae, quae in divina essentia plena et perfecta est, et infinita ratione aequabilis, superabundat in nobis per participationem Spiritus sancti, quem habemus a Patre per Filium: sicut a Patre per Filium est in ipsa natura divina. Quod enim Spiritus sanctus sic a Patre et Filio procedit in nobis, hoc procul dubio ita est, quia sic etiam divina natura procedit. Nullo igitur pacto Photianos sublevat superius adducta Spi-

ritus sancti distinctio; immo vero pie considerantibus magis ex ea ostenditur procedere Spiritum sanctum a Filio. Quod, ut melius discere possimus, de generationis et processionis divinae differentia aliquid, iuvante sancto Spiritu, disseramus.

CAPUT V.

De generationis et processionis divinae differentia.

Verum si recta mentis acie discernere posset humana mortalitas, quid generatio a processione in divina natura differat, quam facillime proposita quaestionis difficultas posset absolvi: sed sicut de generatione scriptum est ab Esaia propheta: generationem eius quis enarrabit? pariter de processione convenit idem dicere: quandoquidem in eodem divinitatis arcano utrumque concluditur. Quid differt Spiritus sanctus a Filio, quum uterque de Patre sit, eiusdem essentiae, eiusdemque naturae, eiusdem maiestatis, eiusdem omnipotentiae, uterque cum Patre? Quid est in Filio genito, quod non sit in procedente Spiritu sancto? Quaenam isthaec diversitas est, quae neque per formam est, quum ibi sit una essentia sive natura, neque per materiam quae ibi nullo modo est nec potest intelligi? Quod per haec non differant, scimus; et propter quid differant, quaerimus: alta procul dubio quaestio, cuius nodos si explicare possemus, quis dubitet et Graecis et Latinis tantum inde lumen posse consurgere, ut repudiata vocabulorum dissensione, idem se utrique sentire facile percipiant, dum alii a Filio, alii per Filium procedere a Patre Spiritum sanctum confiteutur, et se diversa dicere existimant, quum idem dicant: relationem enim originis utrique faciunt, quae emanationis modum sequitur; quem quis explicabit nobis, ut videre aliqua ex parte possimus, quid a generatione processio differat? Basilium interrogo. Sed is mihi respondet: τοῖς γεγραμμένοις πίστευε· τὰ μὴ γεγραμμένα μὴ ἐπιζήτει: idest *iis quae scripta sunt credito, ne quaeras quae scripta non sunt.* Sed qua in parte in evangeliis hic nodus exsolvitur? Accedo ad Chrysostomum. Is me prorsus expellit, dum ait: ὅτι μὲν πανταχοῦ ἐστὶν ὁ Θεὸς, οἶδα· τὸ δὲ πῶς, οὐκ οἶδα· οἶδα ὅτι υἱὸν ἐγέννησε, τὸ δὲ πῶς, ἀγνοῶ· οἶδα ὅτι τὸ πνεῦμα ἐξ αὐτοῦ, τὸ δὲ πῶς ἐξ αὐτοῦ, οὐκ ἐπίσταμαι: *novi*, inquit, *quod Deus ubique est, sed quomodo, non novi: novi quod*

Basilius

Chrysostomus

Filium genuit, sed quomodo genuerit, ignoro: novi quod Spiritus
ex ipso est, sed quomodo ex ipso sit, nescio.

Dionysius Dionysius areopagita principium divinitatis in Patre recte con-
stituens, dum Patrem appellat πηγὴν θεότητος, fontem divinitatis suae
scateutem, Filium vero et Spiritum sanctum βλαστοὺς θεοφύτους, quasi
ramos sive germina divinae naturae cum praefatione nominat, εἰ οὕτω
χρὴ φάναι, idest *si sic licet dicere*. Mox subdit, ὅπως δὲ ταῦτα ἐστὶν, οὔτε
εἰπεῖν, οὔτε νοῆσαι δυνατόν: idest *quomodo autem haec ita se habeant,*
Ioh. dam. *neque verbis exprimi, neque animo comprehendi potest.* Sed Iohan-
nes etiam damascenus, quem procul dubio in divina doctrina dili-
gentissimum appellare convenit, ipse quoque me terret, quum ait:
ὅτι δὲ ἐστὶ διαφορὰ γεννήσεως καὶ ἐκπορεύσεως, μεμαθήκαμεν· τίς δὲ τρόπος τῆς
διαφορᾶς, οὐδαμῶς: *didicimus*, inquit, *generationem inter se a pro-*
cessione differre, modum autem differentiae numquam. Quae er-
go temeritas, quae impudentia est, quaestionem hanc ex tam alto
arcano solvere conari? et tantis viris contradicentibus velle sapere
plus quam oporteat? praesertim quum scriptum sit, altiora te ne
quaesieris. Sed e contrario me ipsae sacrae litterae invitant, hortan-
turque ut quae sursum sunt sapiam, non quae super terram: et
multos ex sacris doctoribus graecis et latinis animadverto haec se
ipsis altiora scribendo et docendo quaesisse et invenisse, et pul-
santibus aperta esse, in speculo saltem et in aenigmate, divina my-
steria. Horum igitur quotidie scripta versantes conabimur pie scru-
tari et colligere quid in divinis cum generatione, quid cum pro-
cessione conveniat; et sub felici sanctorum patrum audacia teme-
ritatem nostrae infirmitatis pius et studiosus lector facile excusabit.
Augustinus Non enim nos ab hac contemplatione prorsus expellit Augustinus,
sed sic ait: attolle oculos ad ipsam lucem, et eos in ea fige si
potes: sic enim videbis, quid distet nativitas verbi Dei, a proces-
sione doni Dei: quamvis ipse quoque ad Maximinum scribens,
quaestionis difficultate terreatur.

Sed prius de ipso nomine processionis dicendum est. Non-
nulli enim ex vestris hominibus, Graeci fratres, latinae linguae
proprietatis ignari, ex falsa suasione existimaverunt non potuisse
Latinos τὸ ἐκπορεύεσθαι exacte interpretari, et dixisse procedere, quod
non proprie significat ἐκπορεύεσθαι; exprobrantes etiam inopiam at-
que angustiam linguae, quae causa sit, ut minus recte Latini
sancti Spiritus proprietatem considerent. Parcior est latina lingua

in confingendis vocabulis, et hoc ipso quod parcior est, diligentius pensitat, quid exprimendum est: et quamquam sibi fortasse satis sit, non solum graecum idioma non respuit, sed ubi opus est, interserit et mutuatur vocabula, et graecam linguam velut antiquiorem matrem amplectitur, quae nunc una cum ceteris bonis Graeciae, velut naufragio, extra suos fines expulsa, in sinu Italiae, praesertim in urbe veneta conquiescit, et vires colligit. Sed omissa puerili et litteratoria ambitione, quid significet τὸ ἐκπορεύεσθαι, quod Latini dicunt procedere, consideremus. Et quidem si graeca etymologia volumus exigere quid sibi velit hoc verbum, nihil aliud dicemus id significare, quam ἔκ τινος πορεύεσθαι quod est proprie ex aliquo egredi sive exire. Quod si Latini verbum verbo reddentes interpretari voluissent ἢ ἐκπόρευσιν, non processionem, sed egressionem potius sive exitum essent interpretati: sicut in psalmo, ubi scriptum est: ἐξεπορεύετο καὶ ἐλάλει ἐπὶ τὸ αὐτὸ, interpretatum est *egrediebatur et loquebatur in id ipsum*. Non autem ibi dictum est procedebat, quia nullus egressionis ordo notabatur. Non ergo obiiciatur latinis illis patribus linguae inopia, qui et suae et alienae linguae opulentia non caruerunt. Dixerunt ergo processionem, non egressum aut exitum, non quia dici non potuisset, sed quia in vertenda dictione, quae eam rem exprimeret, qua nihil maius dici aut cogitari potest, vim graecae dictionis non in graeca eruditione, sed in sensu tanti mysterii, pia et iusta lance libraverunt: et quum potuissent recte egressionem, processionem dicere maluerunt; sicut etiam malunt in divinis dicere principium et originem, quam causam: et personam potius quam hypostasim: quum et causam possent dicere, ubi dicunt originem; et substantiam, ubi dicunt personam.

Sed redeamus ad verbum processionis, quod ita sumptum est a latinis illis antiquis patribus, qui et latinam simul et graecam linguam optime callueruut, ut non solum exitum et egressionem ab alio significaret, sed etiam modum quendam exeundi et egrediendi. Verbum enim processionis apud Latinos rationem aliquam originis et ordinis indicare videtur, quam aliqua in parte verbum στείχω apud Graecos denotat; sed praepositioni non iungitur, ut dicatur ἐκστείχω, sicut dicitur ἐκπορεύομαι. In illa ergo summa et ineffabili essentia illud potissimum a Latinis consideratum est in verbo processionis, quod considerari debuit, ut quum generatio et processio exitus quidam

a Patre sit; et Filius dicat, ego a Patre exivi; exeunte etiam a Patre Spiritu sancto, ordo quidam in processione notaretur, sive a Patre et Filio, sive a Patre per Filium: procedere enim ab alio est cum ordine et apparatu quodam egredi. Facessant hoc loco, Graeci fratres, ea quae a nonnullis vestris novis scriptoribus afferuntur, et in picturis proponuntur, quae in quibusdam libris ad docendam plebem compositis ipsi vidimus, ubi radicem, ramum, et florem; fontem, fluvium, rivum; dexteram, brachium, digitumque pinxere, et intersectis etiam circulis Trinitatem ostendere conati sunt: proiicite, quaeso, et excutite de manibus vestris ista

Dionysius portenta. Dionysius de fonte et ramis per similitudinem mentionem faciens, cum praefatione et excusatione loquitur dicens, si ita licet dicere. Non est haec demonstratio deducenda pictis exemplis: attollendi sunt potius pro viribus mentis nostrae oculi in radios illius lucis aeternae, versandumque in animo est, ut in generatione illa aeterna nihil imperfectum sit, nihil indignum. Et quia non dubitamus unum Filium et unigenitum non posse esse nisi ab uno Patre, videamus numquid etiam unum eumdemque Spiritum similiter ab uno tantum spiratore procedere necessarium existimandum sit. Et quia procedere in rebus naturalibus motum a termino aliquo indicat, qui possit esse in pluribus, et non solum ab uno, non est dubium, quin in rebus materialibus aliquid simul procedere possit a pluribus. Flos enim a radice procedit, et a semine: sed quia ratio vegetalis prius et tempore et natura est in semine quam in radice, quum in utroque sit, commodius dicimus florem a semine et radice procedere, quam egredi, quod est ἐκπορεύεσθαι, quod communius est quam procedere, quia omne quod procedit egreditur, non omne fortasse quod egreditur procedit: non enim procedere ex stirpe flores dicimus quum praecipitantur, aut vento impelluntur, licet sic exeant et egrediantur ab illa; procedere tamen dicuntur etiam dum pendent, non solum a radice, sed etiam a semine: si tamen proprietatem loquendi sequi volumus, nascitur potius radix de semine, quam procedat a semine: sed tamen ab eo procedere dici potest, in quo principaliter est origo nascendi et procedendi, quae est etiam in radice, sed non principaliter, quum eam habeat a semine. Sed melius fortasse dicitur procedere florem ex semine et radice, quam nasci: quia nasci proprie ab uno est, procedere vero etiam esse potest a plu-

ribus: et omne quod nascitur, procedit: non omne quod procedit, nascitur: effecta enim dicuntur procedere a causis, quia plures causae unius effectae rei sunt: non tamen proprie dicuntur nasci ex causis, sed originem habere sive procedere ex causis. At vero in illa principe et sempiterna essentia Trinitatis Filius ita genitus dicitur, ut non dicatur procedens nisi communiter et minus proprie; quasi a Patre, sicut ipse dixit, exiens. In Spiritu sancto autem processio proprietas est, quae potest intelligi a Patre et Filio, sive a Patre per Filium: id quod in Filio de generatione aeterna nullo modo potest intelligi, ut sit a Patre et Spiritu sancto, sive a Patre per Spiritum sanctum. Processio vero in divinis ita consideranda est, sicut filiatio et paternitas, sine proprietate temporis aut naturae sive essentiae, cum ordine solius originis et auctoritatis hypostaticae sive personalis, qui per diversas relativas oppositiones distinguitur, non per diversas naturas aut essentias.

Satis haec de vi nominis disputata sint; nunc propinquius oculos nostros in hac luce si possumus, Deo bene iuvante, experiamur. Nemo, quaeso, studium meum damnet, nemo culpet me tamquam temere in tam alto vado natantem: est in dictis sanctorum patrum ubi manum teneam, est ubi me committam. Boni ergo consulat pius et candidus lector, et adiuvet me potius et doceat, quam accuset, considerans in illo simplici et ineffabili thesauro potestatis et sapientiae et bonitatis Dei praeclarius esse, manente in quibus partibus oportet fide, ex dictis sanctorum patrum aliquid haesitando inquirere, quam in plerisque sententiis indubitata et certissima coniectari. Ex dictis sanctorum patrum tam graecorum quam latinorum hoc mihi primum in hac quaestione se offert, approbatum unanimi cunctorum sententia, ut ex illis tribus proprietatibus, quae singulatim tres personas in divina essentia constituunt, quae sunt paternitas, nativitas, et processio, paternitas innascibilitatem patris ostendat, quam a nullo esse eos fatentur: nativitas vero sive filiatio, et processio in hoc communi vocabulo convenire videntur, quod emanationes quaedam in divina natura dicuntur: et ideo paternitas a Dionysio πηγαία θεότης, Dionysius
quasi origo et fons divinitatis dicta est; filiatio vero et processio quasi πρόοδος, idest proventus, sive egressio, sive exitus, sive emanatio. In hoc enim procul dubio convenit generatio et processio

Greg. nyss. in divinis, quod utraque denotat relationem personae, quae non a se est, sed ab alio. Nam, ut superius etiam ex Gregorio nysseno ostendimus, non esse ab alio proprium solius Patris est, esse autem ab alio proprium Filii et Spiritus sancti est. Modi ergo harum duarum emanationum quum diversi sint, diversas quoque relationes faciunt; ut altera filiatio sive generatio passiva, sive nativitas Filii Dei divina dicatur; altera processio Spiritus sancti. Nam si emanationes hae in ulla prorsus parte differrent, Spiritus sanctus procul dubio Filius dici potuisset: sed quia alia emanatio verbi est, alia Spiritus, ideo verbum dictus Filius, et Spiritus nullo modo dictus est Filius.

Augustinus. Unde sanctissimus et doctissimus Augustinus, qui in multis suis dictis non solum explicavit multa supra vires humanae facultatis, sed etiam ad contemplandum Trinitatis mysterium mirifice posteriorum excitavit ingenia, se ipsum in hoc quaesito torquet, se ipsum interrogat, et quasi animam dormientem expergefacit, in hoc praecipue recurrens ad Trinitatis imaginem, quae in anima nostra est. Ipsa, inquit, anima ostendit verbum esse in te, quando de tua scientia gignitur, idest quando quod scimus dicimus: etsi nullius gentis lingua significantem vocem vel cogitemus vel proferamus, sed ex illo quod novimus cogitatio nostra formatur, fitque in acie cogitantis imago simillima cogitationis eius, qua memoria continebat ista duo scilicet velut parentem et prolem, tertia voluntate sive declinatione iungente: quam quidem voluntatem de cogitatione procedere nemo dubitat: nemo enim vult quod omnino qui vult, quale sit, nescit: non tamen hanc esse cogitationis imaginem et ideo in hac re intelligibilem quamdam nativitatis et processionis insinuare distantiam, quoniam non est hoc cogitatione conspicere, quod appetere vult et iam perfrui voluntate. Ex his Augustini verbis videtur posse colligi, quod utraque harum emanationum a Patre sit, altera per modum intellectus, altera per modum voluntatis: praecedere tamen in nobis naturaliter intellectum voluntatem: quia prius noscimus, deinde volumus: aliter enim si vellemus quod nullo modo novimus, non esset haec recta et ordinata voluntas, sed impetus absque indicio: et ideo voluntatem dicit ex intellectu procedere, licet ambae istae emanandi viae procedant ab eo quod in anima excellentissimum est. Quia ergo in emanatione verbi conceptus interior gignitur et forma-

tur, emanatio verbi dicta nativitas est, et verbum dictus est Filius: et quia ex mente concipiente, et verbo concepto procedit perfruitio voluntatis, quae inter mentem concipientem, et verbum conceptum, hoc est inter parentem et prolem intervenit, haec Spiritus dicitur, et non Filius: nomine enim Spiritus voluntatis impulsio significatur: nec dicitur Filius, quia nihil ibi proprie formatur aut gignitur: sed tamen ex formante et formato, ex gignente et genito provenit, principaliter tamen ex gignente, a quo etiam provenit, id quod est genitum.

Ex hac distinctione posteriores theologi antiquioribus inventis addentes multa acutissime tractaverunt, inter quos variis in locis beatus Thomas plenus procul dubio et doctrina et Spiritu sancto, de hac ipsa nativitate verbi Dei, et processione doni Dei praeclara disseruit, praesertim in eo volumine, quem contra gentiles inscripsit. Multa enim affert, quibus ostendit, quo pacto in divinis generatio et processio accipienda sit. Recte enim nos admonet, non esse generationem divinam ita accipiendam, sicut in animalibus aut stirpibus invenitur, in quibus id quod generat, exprimit speciem suam in exteriorem naturam: oportet enim secundum positionem fidei, quod Filius a Deo genitus veram habeat deitatem, et sit verus Deus: verbum enim in divina natura interius conceptum, est quaedam ratio et similitudo rei intellectae: ideoque dictus est Filius imago, et character, et figura substantiae: verbum enim Patris, est imago eius, quantum ad eius essentiam, nihil accidentale prae se ferens: et quum Deus naturaliter se ipsum intelligat, concipit verbum, quod erat in principio apud Deum, et erat Deus: hoc est verbum Dei se ipsum intelligentis, naturaliter a Deo procedens, eiusdem naturae cum Deo verbum ipsum dicente. Est autem figura substantiae, non accidentis: quia similitudo est in substantia secundum identitatem naturae: et haec est vera generationis ratio in rebus viventibus, ut id quod gignitur, a generante procedat, ut similitudo ipsius et eiusdem naturae cum ipso. Sic ergo verbum Dei, genitum vere dicitur a Deo Patre dicente, et eius emanatio nativitas vel generatio dicta est: unde et sapientia Dei, et verbum Dei, idem importat: quod simul et conceptum et natum et semper presens debet intelligi, quod in eodem contextu exprimitur, quum dicitur quasi in una periodo: ego iam concepta eram, et ante omnes colles ego parturiebar, et quando praeparabat caelos, aderam. Haec est ergo

emanatio, quae dicta nativitas aeterna est, qua verbum Dei semper nascitur, semper natum est, semperque nascetur, qui erat, et qui venturus est omnipotens. Haec est emanatio quae datur per modum intellectus, divina sive generatio sive nativitas.

Altera emanatio, quae per modum voluntatis dicitur, et a Graecis nuncupatur ἐκπόρευσις, a Latinis processio, ex dictis Augustini sic deducitur a beato Thoma, cuius sparsim dicta collegimus. Praemittit ergo id quod maxime necessarium est, quod in qualibet intellectuali natura necesse sit esse voluntatem. Quum autem ad voluntatem plures actus pertineant, amor est in ea principium et communis radix omnium actuum: quia licet etiam odisse sit actus voluntatis, sub amore tamen includitur, quatenus qui odit, vult et amat hoc ipsum quod est odisse, sive actum ipsum odii in quempiam habendi. Quod autem amatur, non solum est in intellectu, sed in amantis etiam voluntate dignoscitur: diversa tamen ratione: nam in intellectu est secundum imaginem, sive similitudinem speciei, quemadmodum supra diximus in emanatione verbi: in voluntate autem, id quod amatur est sicut terminus motus in principio motivo proportionabili per convenientiam et proportionem, quam habet ad ipsum. Ignis enim, ut exemplis naturalibus agamus, per generationem est in generante secundum similitudinem et imaginem suae formae: sed ignis per inclinationem propriam, et naturalem, quae proportionatur voluntati, non est in loco superiori secundum similitudinem, aut imaginem eius a quo est, sed secundum rationem levitatis naturalis, per quam habet proportionem et convenientiam ad superiora loca: et ideo haec emanatio processio dicitur, et non generatio. In Deo autem quum sit voluntas, proprium eius obiectum est eius bonitas, et Deus primo in se, et principaliter suam bonitatem, hoc est se ipsum, amat; et est in sua voluntate, ut amatum in amante. Esse autem Dei in voluntate sua per modum amoris, non est esse accidentale sicut in nobis, sed essentiale: quo fit, ut Deus secundum quod consideratur amans in amato, et in sua voluntate existens, sit vere et substantialiter Deus. Quod autem est in voluntate ut amatum in amante, ordinem quemdam habet ad conceptionem, quae ab intellectu est, et ad ipsam rem cuius intellectualis conceptio dicitur verbum. Nec enim amatur aliquid nisi aliquo modo cognoscatur: unde amatum in amante et a verbo Dei et a Deo Patre, cuius est verbum, procedere oportet. Sed

Thomas

amatum in amante non est secundum similitudinem speciei sicut intellectus in intelligente: atque ob id Deus de Deo sanctus Spiritus exiens per modum volnntatis non exit nt genitus, sed ut procedens: et ideo non dicitur Filius, sed Spiritus, quia per nomen Spiritus quaedam insinuatur impulsio quae ad Spiritum pertinet, prout a re vivente, et appetitum sive voluntatem habente procedit. Hic ergo impulsus in divina natura sistitur, et requiescit in Filio, secundnm plenitudinem totius mensurae et perfectionis suae: quia, ut ait Damascenus, non oportuit Patri verbum deficere, nec verbo Spiritum, qui procedit ex Patre, in quo est omnis origo nascendi et procedendi: et procedit ex Filio, cui in nascendo contulit etiam rationem procedendi: quia amatum in amante esse non potest, nisi sit in cognoscente: cognitio autem et amor idem essentialiter est, sicut intellectus et voluntas.

CAPUT VI.

Cognitam etiam fuisse graecis doctoribus antiquis ipsam generationis et processiouis divinae differentiam.

Ex iis, quae hactenus de generatione et processione divina non ex propria pennu, sed ex scriniis sanctorum patrum adduximns, potest per speculum et in aenigmate utriusque emanationis differentia discerni: ex qua facile coniicitur, et Graecos et Latinos, si in eadem veritatis luce simul ambulare voluerint, facile concordes et unanimes unius sententiae in Spiritu sancto futuros. Neque vero existimet quispiam hanc ex intellectu et voluntate divina deductionem, antiquis etiam graecis doctoribus ignotam aut inconsideratam extitisse. Licet enim non ita exacte modum generatiouis et processionis attigerint, hoc tamen ipsi quoque aperte senserunt, generationem intellectui sive notitiae, processionem vero voluntati sive unitati esse accommodandam. Dionysius enim in libro eodem Dionysius de divinis nominibus paternitatem et filiationem summe perfectam explicans, ait: hoc est sine corpore, sine natura, non absque intellectu. De processione autem Spiritus sancti paulo ante dixit: beneficus divinae nnitatis proventus, sive processio, quae supra omnem unitionis modum per bonitatem sese in pluralitatem agit sive multiplicat. Ecce Dionysius de generatione et pa-

ternitate et filiatione mentionem faciens, intellectum nominat. De processione vero Spiritus sancti disserens, beneficentiae bonitatisque divinae mentionem facit idem auctor in eodem volumine emanationem donorum Spiritus sancti explicans ex amore divinae voluntatis in rebus provenientem, qui non est alius et novus amor, sed proprius divinae bonitatis. Ait enim: bonitatem vero esse obiectum voluntatis, nemo dubitat, sicut veritatem intellectus. Itaque a propheta dicitur, Spiritus tuus bonus. Et sapientia Filii dicit se conceptam et genitam, sive partu editam, et Deo praesentem, et cum eo omnia componentem.

Clemens Sed stromateus Clemens theologicas definitiones colligens (ut in primo volumine recitavimus) Filium dicit esse δευτερότητα ὑποστάσεως ἐν ταυτότητι φύσεως: id est *secundum gradum personae in identitate naturae.* Subdit γνωριζομένη, idest *cognatio cognita*: id quod Latini dicunt, notitiam genitam sive sapientiam genitam. Nam cognatio illa Filii a Patre cognita per intellectum, constituit sive generat Filium. Spiritum sanctum autem nominat νεῦμα, hoc est nutum, qui est actus voluntatis. Ipsum etiam nomen verbi et Spiritus in graeca eruditione indicat utriusque emanationis modum. Nam quod Latini dicunt verbum, Graeci non ῥῆμα, sed λόγον nuncupant: λόγος autem et rationem significat et verbum. Utraque autem significatio Filio propria est, qui ex conceptu intellectus Dei se ipsum intelligentis de ingenito Patre Filius dicitur: verbum autem interius in mente conceptum non

Gregorius naz. prolatum, idem quod ratio est. Sed et Gregorius nazianzenus in suis carminibus de Trinitate disserens, Filium vocat νόημα τοῦ πατρός; quasi ex Patre in quantum est intelligens. Spiritum sanctum vero dicit quasi ex bono, quasi ex Deo, in quantum est bonus. Ait enim: ἓν πνεῦμα ἐξ ἀγαθοῦ θεοῦ θεός. Unde sicut Filius in symbolo dicitur Deus verus de Deo vero, ita Spiritus sanctus a Gregorio dicitur ἓν πνεῦμα ἐξ ἀγαθοῦ θεοῦ θεός: hoc est *Deus bonus de Deo bono.* Idem autem substantialiater verum et bonum est: sed verum quidem ut refertur ad intellectum, bonum autem ut refertur ad voluntatem. Unde dubium esse non potest, quin etiam apud Graecos Filius a Patre per modum intellectus emanare dicatur, emanatione quae generatio dicitur: Spiritus sanctus vero per modum voluntatis, emanatione quae spiratio nuncupatur.

Ioh. Dam. Propter quod Iohannes damascenus de verbo disserens, ait: εἷς καὶ μόνος Θεὸς οὐκ ἄλογός ἐστι· λόγον δὲ ἔχων οὐκ ἀνυπόστατον ἕξει: idest *unus et*

solus Deus non est sine verbo, verbum autem quum habeat, non habet sine hypostasi. Ἄλογον dixit sine verbo, id qnod etiam significat irrationale sive sine ratione. Concludit igitur Damascenus Patrem non esse sine verbo, et verbum non esse sine Spiritu. Dicit enim Θεὸς οὐκ ἄλογός ἐστι. Et paulo post δεῖ δὲ τὸν λόγον καὶ πνεῦμα ἔχειν: idest *Deus non est sine verbo, verbum autem oportet ut habeat Spiritum sanctum.* Spiritum autem paulo post dicit esse συμπαρομαρτοῦν τῷ λόγῳ καὶ φανεροῦν αὐτοῦ τὴν ἐνέργειαν: idest *simul consequens ad verbum, et ostendens eius efficaciam, sive actionem*, quae nihil est, quam exequutio divinae voluntatis; quae (ut ait Dionysius) διεξοδικῶς, idest per exitum sive egressionem ibi ostenditur, quum dicitur: emitte Spiritum tuum et creabuntur. Διέξοδος enim etiam pro spiratione accipitur (ut est apud Sophoclem) λέγουσι γὰρ καὶ ἀνέμων διέξοδοι, ubi interpretatur ἐκπνοαί: idest spirationes. Alibi vero exitum, alibi digressum sive digressionem significat, ut est in psalmis διεξόδους ὑδάτων κατέδυσαν οἱ ὀφθαλμοί μου. Καὶ παρὰ τὰς διεξόδους τῶν ὑδάτων: idest *exitus aquarum deduxerunt oculi mei*. Et *secus decursus aquarum.* Sed ex verbis Dionysii διεξοδικῶς emittitur Spiritus. Exitus procul dubio ille, sive egressio, sive spiratio, ipsa illa emanatio est, de qua diximus, divinae voluntatis.

Dionysius

Sophocles

Spiritum sanctum igitur hac emanatione manantem consideret mens catholica, nec se latinam aut graecam censeat, sed christianam: videatque pro suae libito voluntatis, utrum malit dicere procedentem Spiritum a Patre et Filio, an a Patre per Filium: et utrumque se pie ac vere dicere posse animadvertet, quia Pater et Filius una emanatione voluntatis producunt sive spirant Spiritum sanctum: ideo non incongrue a Patre et Filio procedere dicitur. Quod si mavis dicere a Patre per Filium, quia Pater et Filius licet una eademque emanatione voluntatis producant Spiritum sanctum; quia tamen Pater a nullo est, et a se habens quicquid habet, Filius vero a Patre est, ab eo habens omnia praeter quam ut sit Pater, inspecta principali ratione originis et auctoritatis, originaliter et principaliter Spiritus sanctus a solo Patre procedit. Non sic a Filio, quia licet habeat unam eamdemque cum Patre voluntatem, illam non habet a se, sed a Patre; habet enim omnia quae sunt Patris, praeter quam ut sit Pater. Fateatur igitur mens catholica, sicut antea ex Augustino diximus, Spiritum sanctum principaliter a solo Patre procedere, et ab utroque procedere, et ab utroque simpliciter, et a

Patre per Filium, quia Pater omnia dedit Filio, etiam vim spirandi Spiritum sanctum, qui est amor Patris et Filii, utrique coaeternus et consubstantialis. Prius autem non natura, neque essentia, neque tempore, sed personali origine Pater amat Filium quam Filius Patrem. Sic ergo amor est, sive procedit a Patre et Filio, principaliter tamen a Patre, verissime etiam a Patre per Filium.

CAPUT VII.

Removetur obiectio qua nituntur quidam efficere ne Graeci et Latini vi eorum quae supra sunt allata conveniant.

Sed animadvertendum est vobis summopere, Graeci fratres, quod ii, qui Photianos in statione suae pertinaciae continere nituntur, ab hac consideratione se subtrahunt, et in divina processione voluntatis mentionem haberi debere recusant, neque voluntatem divinam in ipsa Trinitate, sed tantum extra Trinitatem considerari volunt respectu processionis illius, quam temporalem dicimus: quin immo a processione Spiritus sancti voluntatem paternam impie subtrahere non verentur, ne ob id a Filio Spiritum sanctum procedere fateri cogantur. Cavete igitur, latens venenum effugite: voluntas enim Dei coaeterna est, et ipsa est ipse Deus: Pater amat Filium (ut ipse in evangelio ait) dilectione, quae est ab aeterno. Sed ubi esse potest dilectio sine actione voluntatis, aut omnino sine voluntate? Haec in Deo voluntas semper extitit, ante quam ulla umquam creatura conderetur et eadem voluntate Deus Pater amat ab aeterno Filium, qua ex tempore creavit mundum: et eodem amore Filium amat ab aeterno, quo rationalem creaturam amavit ex tempore. Itaque, Graeci fratres, tertium illud genus ingeniorum effugite, eorum dico, qui (ut ait Hesiodus) nec ipsi sciunt, nec scientibus et bene monentibus parere volunt. Eadem est apud Graecos et Latinos Spiritus sancti veritas: nec illa quae de utraque emanatione Filii et Spiritus sancti adduximus, sine graeco fonte dicuntur: verbum enim sive Filium ex mente sive intellectu considerat, Spiritum sanctum vero ex voluntate. Idque apertissime a Damasceno explicatur, qui de verbo disserens ait: ὥσπερ ὁ ἡμέτερος λόγος ἐκ τοῦ νοῦ προερχόμενος: idest *sicut verbum nostrum ab intel-*

Hesiodus

Damascenus

lectu proveniens. Nec fere satis dici potest quot passim locis verbum Dei dicatur ex conceptu mentis sive intellectus procedere: et ideo ubique sapientia et scientia, et veritas, et lux illuminans dicitur: haec enim omnia ab intellectu sunt. De Spiritu sancto autem loquens idem Damascenus eum vocat: *ὑπόστασιν πάντοτε ἀγαθὸν θέλουσαν καὶ σύνδρομον ἔχουσαν τῇ βουλήσει τὴν δύναμιν*: idest *hypostasim ubique bonum volentem, et quae simul occurrentem habeat voluntati facultatem.* Et alibi de eodem Spiritu sancto loquens ait, *οὐδεμία γὰρ ὁρμὴ ἄνευ πνεύματος*: idest *nullus impetus, sive impulsio, sine Spiritu.* Non est autem in Deo alia impulsio nisi voluntatis. Sed Basilius monarchiam in Trinitate constituens, spirationem applicat voluntati, dum *γνώμης σύμπνοιαν* dicit, quasi spirationem voluntatis. Et de amore quo Deum diligimus loquens ait: *τὸν ἐγκεκρυμμένον ἡμῖν σπινθῆρα τοῦ θείου πόθου, κατὰ τὴν ἐνδεδομένην διὰ τοῦ πνεύματος διεγεῖραι σπουδάσωμεν*: idest *rectam in nobis favillam divini desiderii per datam nobis a Spiritu sancto virtutem excitare conemur.* Dilectionem igitur in nobis Spiritui sancto attribuit, quae in Deo quoque dilectio est. Ex quibus datur intelligi ex eodem discursu et Latinos et Graecos utrumque emanationis mysterium deduxisse. Basilius

CAPUT VIII.

Quod antiquiores graeci theologi de aeterna Spiritus sancti processione parcius loquuti: et quod tota quaestio de verbis est, quoniam re ipsa Graeci Latinique idem sentiunt.

Sciendum tamen est, quod quum secundum graecos simul latinosque theologos duplex sit processio sancti Spiritus; altera, ut superius diximus, aeterna et ineffabilis, qua Spiritus sanctus in ipsa divinitate procedit, per quam distinguitur Spiritus sanctus a Filio, quia Filius genitus est, et Spiritus sanctus procedens: altera quae procedere dicitur extra divinam essentiam ad sanctificationem creaturae, sive quovis alio modo, ad exequendam largitatem divinae bonitatis in rebus creatis; de illa quae merito ineffabilis est non multa a graecis doctoribus dicta requirimus. Latini vero hac in parte perspicaciores an audaciores fuerint nolim dicere. Sit hoc do-

ctorum hominum iudicium, qui et theologiam, et utramque linguam calleant, certe latius fusiusque hac in parte Latini scripsere. Graeci vero considerationem processionis aeternae velut rei ineffabilis, esto non ut minus diligentes sed minus fortasse curiosi reliquerint; profecto id magis movet me, ut eos existimem de ea minus multa scripsisse, qnia utraque processio eadem sit respectu eiusdem ab uno principio: non quod idem sit aeternum, et ex tempore, sed quia idem Deus, qui est ab aeterno principium sine principio, est etiam principium ex tempore respectu rerum creatarum ab ipso, nulla in eo facta mutatione. Diximus enim superius ex dictis sanctorum Spiritum sanctum in se in sua natura immutabilem, et non in se, sed in corde hominis augeri et minui. Processionem igitur temporalem antiquiores graeci theologi velut magis notam et propinquiorem nostris sensibus latius explicaverunt, et considerata in primis principali origine procedendi (qnam sic in solo Patre esse quis dubitat?) Spiritum sanctum a Patre procedere non commemorato Filio dixerunt: id quod etiam a Latinis accipitur; et processione sic intellecta, a solo etiam Patre procedere confitentur.

Sed animadvertite quaeso, Graeci fratres, et quid neque ut Latini, neque ut Graeci, sed ut membra Christi sentire debeamus, considerate. Quaestio tota de verbis est. Idem Graeci Latinique sentimus. Nec ego iam Photianos et Ephesianos accuso, quod non simul cum catholicis sentiant, sed qnod dum idem revera sentiunt, se idem sentire renuunt, et nullo pacto veritati acquiescere, si a nobis veritas dicitur, volunt. Videamus igitur quo pacto in idem currimus. Quid ais? Spiritus sanctus a Patre solo procedit. Tecum idem sentio, quia et tu dum a solo Patre Spiritum sanctum dicis procedere, principalem originem et auctoritatem processionis intelligis: quo pacto nullatenus potest a Filio procedere Spiritus sanctus. Nam si hoc pacto Spiritum sanctum a Filio procedere intelligerem, idem esset ac si dicerem Filium non habere hoc a Patre, sed a se ipso, ut de se procederet, et de se mitteretur Spiritus sanctus. Hoc ego non sentio, qnod nec tu sentis, nec omnino ulla pia mens sentire potest. Sed dicet mihi Graecus pacis et veritatis cupidus: Graeci ergo sic recte dicunt Filium a solo Patre procedere. Recte profecto, si sic intelligunt. Sed hoc modo etiam intelligant Spiritum non esse a Filio, nec ullo

modo aut ullo manationis genere prodire a Filio, sicut virtus illa Spiritus sancti, quae legitur in evangelio de Filio exibat, et sanabat omnes: et Spiritum ipsum quem se ait mittere Filius, et quem in discipulos corporeo insufflavit anhelitu, et quem Spiritus sanctus de suo accepit, et mutuavit apostolis, non a Filio esse, aut procedere, sed a solo Patre rectissime dicimus, quia prima huius exitus et missionis et insuflationis origo principaliter a Patre est: et quum dico principaliter, intelligo illud, ut hoc a se ipso habeat, non ab alio; id quod nullo modo de Filio dici potest. Sequamur ergo, Graeci fratres, sine contentione catholicam veritatem. Esse ab alio in divina essentia duobus dumtaxat modis potest intelligi, aut generatione, aut processione: nihil enim in divina essentia potest dici esse ab alio, nisi altero ex his duobus modis essendi ab alio. Qui ergo negare audent Spiritum sanctum nullo modo procedere a Filio, dicant quaeso quomodo intelligunt ipsum esse aut exire a Filio? quem mihi reperient modum essendi ab alio in divinis, nisi generationis aut processionis? Sed dicere Spiritum sanctum esse a Filio per generationem, mera dementia est et impietas; erit ergo per processionem.

Respondebit quispiam ex doctrina Photii, et concedet Spiritum sanctum procedere a Filio, pro ut est donum et charisma, non ut est persona divina. Sed quaero, quid dicit Christus Dei Filius discipulis suis quum dixit *accipite Spiritum sanctum*? creatorem ne an creaturam? Quum de hoc interrogatus esset Ephesius in florentino concilio, obmutuit: numquam respondere voluit: alia prius discutienda esse postulavit: discessit tandem, atque adesse non voluit. Quis enim adeo ignarus et stupidus est, ne dicam infidelis et impius, qui Spiritum sanctum sic datum a Filio dicat fuisse mutabilem et vertibilem creaturam? Sed de hoc satis superius dictum est, ubi de charismatibus disseruimus. Unde adhuc respondebit pertinax quispiam, et dicet fuisse quidem datum et missum a Filio verum illum Spiritum sanctum, qui est verus Deus, et tertia in Trinitate persona: sed aliud est missum, et datum esse Spiritum sanctum a Filio, qui sanctificat creaturam, aliud Spiritum sanctum esse et dependere a Filio in divina essentia. Hic demum postremus angulus est, in quo se coniicit haec pertinacia, et dum coguntur Spiritum sanctum fateri, et ut est donum, et ut est unus Deus, procedere a Filio quum mittitur aut datur ad sanctificandam creaturam, tamen ipsum

a Filio simpliciter procedere in divina essentia pernegant. Propter quod hoc quoque relinquitur discutiendum, quod tamen facile potest absolvi, et ex iis, quae de nativitate verbi et processione doni diximus, explicatur; in tota sacrarum scripturarum serie, et Filius missus legitur, et Spiritus sanctus, Pater vero nullibi omnino legitur missus. Differt ergo Pater a Filio et Spiritu sancto, quia Pater mittit, sed non mittitur. Filius vero et Spiritus sanctus in hoc similiter conveniunt, quod uterque mittitur: sed differunt iterum Filius et Spiritus sanctus inter se, quod Filius et mittitur et mittit: Spiritus sanctus solum mittitur, non etiam mittit. Nam quod legitur: misit me Dominus, et Spiritus eius, opus et mysterium missionis refertur, quod est a tota Trinitate respectu humanitatis assumptae, de qua ab angelo dictum est: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus altissimi obumbrabit tibi.

Si ergo quis nos interroget, cur non mittitur Pater, respondebit simul et Catholicus et Photianus, quia Pater a nullo sit, a nullo mitti potest. Sed Filius cur mittitur? quia a Patre est. Cur non mittitur a Spiritu sancto? quia non est ab eo; quia, ut doctissimus docet Damascenus, τὸν δὲ υἱὸν οὔτε τοῦ πνεύματος λέγομεν, οὔτε μὴν ἐκ τοῦ πνεύματος: idest, *Filium neque Spiritus sancti dicimus, neque ex Spiritu sancto*. Filius ergo a solo Patre mittitur, a quo solo est. Si ergo quaeramus cur Spiritus sanctus mittitur a Patre et Filio, nullum prorsus responsionis diverticulum invenies, nisi dixeris quod est ab utroque. Immo vero, ut verius et purius consideremus, et simplicissimae naturae divinae rationem habeamus, ipsa processio Spiritus sancti a Patre in ipsa essentia divina, aeterna et immutabilis, fit missio ex tempore, dum terminatur in creaturam mutabilem: nec processio et missio differunt respectu termini a quo, sed termini ad quem: et ideo ut unius termini differentia insinuaretur, omnes fere graeci theologi productionem Spiritus sancti principaliter Patri attribuunt: atque ubi de ea loquentes non nominant Filium, intelligunt, ut supra diximus, Spiritum sanctum principaliter a Patre procedere. Hanc autem eamdem productionem, ut est communicata a Filio, et non principaliter et in sua origine sumpta, vocant potius exitum, aut scaturiginem, aut per reliqua vocabula, quae non aliam proprietatem in Deo accumulant, sed eamdem processionem significant respectu terminorum aliter sumptorum: sicut in eo exemplo est, quod Iohannes damascenus affert de sole,

radio, et splendore sive illuminatione: solem assimilat Patri, radium Filio, splendorem sive illuminationem Spiritui sancto. Splendor et illuminatio sive sit a sole et radio, sive a sole per radium, hoc se sic habet iu natura solis, etiamsi nihil extra sit, quod illuminetur a sole: eadem processio splendoris in ipsa solis natura a sole et radio, sive a sole per radium, extra solem terminatur; in templo aut in cubiculo, in quae procedit splendor a sole et radio, sive a sole per radium.

Missio igitur in divinis sequitur modum essendi, sicut actio in rebus naturalibus sequitur formam, et naturalem facultatem, sive potentiam. Sicut enim ex tribus personis in divina essentia una tantum ex his mittitur, una et mittitur et etiam mittit, una tantum mittitur et non mittit, ita una est principium non ex principio, altera principium ex principio, altera ex principio, sed non principium. Quia (ut alibi diximus) Spiritus sanctus non est principium respectu ordinis personalis, sed solum quatenus tota Trinitas est unum principium respectu rerum creatarum. Quatenus ergo Pater, solus principium est, non ex principio (solus enim ἄναρχος dicitur). Sic a solo Patre est, non solum Spiritus sanctus, sed etiam eius missio. Et sic intellexit Iohannes damascenus Spiritum sanctum non esse a Filio: quod ut videri et intelligi facilius possit, non concisam et per intervallum recitatam (quod Photiani faciunt, ut nos decipiant) sed totam vobis, Gracci fratres, et integram particulam adducemus. Postquam enim sanctus hic et doctus vir solum Patrem declaravit esse ἄναρχον, sive ἀναίτιον, idest sine principio et sine causa, quod Latini dicunt esse a nullo; subdit Spiritum sauctum non esse a Filio, quasi ut Filius ipse esse ἄναρχος sive ἀναίτιος intelligatur; et ideo sic ait: χρὴ γινώσκειν ὅτι τὸν πατέρα οὐ λέγομεν ἔκ τινος· λέγομεν δὲ αὐτὸν τοῦ υἱοῦ πατέρα· τὸν δὲ υἱὸν οὐ λέγομεν αἴτιον, οὐδὲ πατέρα· λέγομεν δὲ αὐτὸν ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ υἱὸν τοῦ πατρός· τὸ δὲ πνεῦμα τὸ ἅγιον καὶ ἐκ τοῦ πατρὸς λέγομεν, καὶ πνεῦμα πατρὸς ὀνομάζομεν· ἐκ τοῦ υἱοῦ δὲ τὸ πνεῦμα οὐ λέγομεν, πνεῦμα δὲ υἱοῦ ὀνομάζομεν· εἴτις γὰρ πνεῦμα Χριστοῦ οὐκ ἔχει, φησὶν ὁ ἀπόστολος· καὶ δι' υἱοῦ πεφανερῶσθαι, καὶ μεταδίδοσθαι ἡμῖν ὁμολογοῦμεν· ἐνεφύσησε γὰρ καὶ εἶπε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, λάβετε πνεῦμα ἅγιον, ὡς ἐκ τοῦ ἡλίου μὲν ἥτε ἀκτὶς καὶ ἡ ἔλλαμψις· αὐτὸς γάρ ἐστιν ἡ πηγὴ τῆς ἀκτῖνος· διὰ δὲ τῆς ἀκτῖνος ἡ ἔλλαμψις ἡμῖν μεταδίδοται· καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ φωτίζουσα ἡμᾶς, καὶ μετεχομένη ὑφ' ἡμῶν· τὸν δὲ υἱὸν, οὔτε τοῦ πνεύματος λέγομεν, οὔτε μὴν ἐκ τοῦ πνεύματος. Idest *nosse oportet quod Patrem non dicimus ex aliquo, dicimus autem ipsum Filii Patrem.*

Filium autem non dicimus causam neque Patrem: dicimus au-
tem ipsum ex Patre et Filium Patris. Spiritum sanctum autem
et ex Patre dicimus, et Spiritum sanctum Patris appellamus; ex
Filio autem Spiritum non dicimus, sed Spiritum Filii nuncupa-
mus: siquis, inquit apostolus, Spiritum Christi non habet. Et per
Filium manifestari nobis et distribui fatemur: insufflavit enim et
dixit discipulis suis, accipite Spiritum sanctum. Tamquam ex sole
radius et fulgor: ipse est enim fons radii et fulgoris; per ra-
dium autem nobis distribuitur fulgor, qui illuminat nos, et par-
ticipatur a nobis. Filium autem neque Spiritus dicimus, neque ex
Spiritu.

Haec Damasceni verba illa, ex quibus pro tuendo schisma-
te dictum illud exceperunt *Spiritum sanctum ex Filio non dici-*
mus. Sed animadvertite, Graeci fratres, quomodo ex Filio Spiri-
tum sanctum non dicat Damascenus. Mandenda sensim et gustan-
da sunt haec Damasceni dicta, non uno anhelitu devoranda. Pa-
trem, inquit, non dicimus esse ex aliquo, sed Filium esse ex Pa-
tre, Spiritum vero ex Patre pariter dicimus, sed ex Filio non di-
cimus, non quia non sit ex Filio, sed quia non sic est omnino
ex Filio, sicut ex Patre; intelligendo per hanc propositionem ex
immediatam originem. Vult enim ibi Damascenus Spiritum sanctum
dici debere procedentem a Patre per Filium, magis quam a Pa-
tre et Filio, ut denotetur procedendi origo, principaliter esse in
Cyrillus Patre, et in Filio non principaliter: sed (ut ait Cyrillus) ὡς ζι-
χούσης εἰς τὸ γέννημα φυσικῶς πατρικῆς ἰδιότητος: idest *tamquam cur-*
rente in prolem naturaliter paterna proprietate. Quia quicquid Pa-
Augustinus ter dedit Filio, et nascendo dedit, et (ut ait Augustinus) qui
dedit ei ut esset Filius, dedit simul illi ut a se procederet Spiri-
tus sanctus, ut saepe dictum est. Hanc autem esse eiusdem in-
telligentiam, ipsemet auctor exponit, quia dicit: Filium non di-
cimus causam, neque Patrem, quasi non ita causam sicut est Pa-
ter, quia Pater est causa sicut principium ingenitum, Filius ve-
ro est principium genitum. Quod si aliter intelligantur verba Da-
masceni, non solum (ut diximus) ceteris graecis doctoribus, sed
sibi ipsi contrarius apparebit, quia dicit Spiritum sanctum esse
imaginem Filii, sicut Filius est imago Patris. Quomodo ergo non
est Spiritus sanctus a Filio, si est imago Filii? Quaenam imago

ista est, quae non est ab eo cuius est imago? Sed de hoc etiam inferius disseremus.

Subdit ergo Damascenus: Spiritum Filii dicimus, sed non e contrario, Filium Spiritus. Cur hoc, rationem interserit: quia Filius manifestat, et distribuit, et etiam afflatu corporali dat Spiritum sanctum, non sic ut ullo pacto Spiritus sanctus Filium: sed ut Spiritus sanctus procedit a Patre per Filium, e contrario autem Filius generatur a Patre non per Spiritum sanctum. Quid sibi vult ista diversitas? Ipsemet ex eo declarare nititur subdens, tamquam a sole radius et splendor. Sol enim fons est et radii et splendoris: sed per radium nobis distribuitur splendor, qui illuminat nos, et participatur a nobis. Non recedamus ab exemplo: haec tria sunt: sol, radius, et splendor, et nihil omnino est in quod sol splendeat, quod etiam radio et splendore non illuminetur: et quum radius sit a sole, et splendor a sole per radium, splendorem a sole et radio quomodo esse non dicemus? Intelligendum ergo est ut ita dicamus: splendor quidem a radio est, sed dico eum non esse a radio, sed a sole per radium. Ex his ergo liquet hoc velle Damascenum, quod post multa ostendit, et se ipsum exponit, dicens: καὶ υἱοῦ τὸ πνεῦμα, οὐχ' ἐξ αὐτοῦ, ἀλλ' ὡς δι' αὐτοῦ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον· μόνος γὰρ αἴτιος ὁ πατήρ: *et Filii quidem Spiritus est, non tamquam ex eo, sed tamquam per eum ex Patre procedens.* Solus enim Pater est causa, et per causam hic intelligit Patris proprietatem, scilicet τὸ ἄναρχον, quod est non esse ab alio, et originem cum innascibilitate, quae Filio sic non potest communicari. Est ergo secundum Damascenum Spiritus sanctus ex Filio, non tamquam ex Filio, sed tamquam ex Patre per Filium. Idem dicit Augustinus, et omnes Latini, scilicet sanctum Spiritum a solo Patre procedere principaliter. Ideo autem, inquit Augustinus, addidit principaliter, quia etiam ex Filio procedere reperitur, sed non principaliter: et subdit causam, quia hoc Filio Pater dedit, non ut iam existenti, et nondum habenti, sed quia quicquid unigenito verbo dedit, nascendo dedit. Sic ergo eum genuit, ut etiam donum de illo commune procederet, et Spiritus sanctus esset amborum.

Quid ergo collidimus inter se graecos theologos? quid Latinos cum Graecis committimus? Idem omnes hac in parte sentiunt; sed quod sentiunt, aliter exprimunt. Credite mihi, Graeci fratres, sunt et cum Graecis et cum Latinis durae cervicis ingenia; ignari pompam scientiae

prae se ferunt, et indocti in eruditione gloriantur, disputant quod ne-
sciunt, in sinu condunt chartulas unam aut alteram particulam excer-
pentes, totam legem non perspiciunt, per intervalla colligunt auctori-
tates, quibus mox ampullas, et sesquipedalia verba proiiciant. Multi
testem adducunt Damascenum, qui numquam Damascenum legerunt.
Legendus et perlegendus est, immo saepissime regustandus: tunc
demum videndum est, cur solus ex graecis doctoribus non puta-
verit Spiritum sanctum ex Filio esse dicendum, sed potius Filii,
et per Filium. Sic enim et Deum vocat ἀνούσιον, quum Filius et
et Spiritus sanctus sit Patri ὁμοούσιος? Quis enim tam pravae men-
tis sit, qui Damasceno imputet, quod crediderit Dei non esse es-
sentiam? Sed Deum dixit ἀνούσιον, non quia Dei non sit essentia,
sed quia super omnem essentiam et substantiam sit: ait enim,
οὐδὲν γὰρ τῶν ὄντων, ἀλλ' ὑπὲρ τὰ πάντα ἐστὶ: idest *nihil enim ex en-
tibus, sed super omnia est*. Esse igitur ex aliquo, potest dicere
aequalitatem: ut si duo filii dicuntur ex uno patre geniti, uter-
que dicitur aequaliter ex patre: horum si aliquis generet filium,
et is ex patre et avo etiam dicatur, vere dictum est; quamvis
non simul eodem modo sit ab utroque, sed ex avo per Filium. Im-
propria tamen est quantum ad rem attinet haec comparatio, sed
quantum ad eius praepositionis explicandae significantiam, non alie-
na est. Verior et magis propria illa est, quam ipsemet auctor af-
fert solis et radii.

CAPUT IX.

Ratione suadetur Spiritum sanctum a Filio procedere.

Sed si Spiritus sanctus per Filium procedit ex Patre, quomodo
potest intelligi, ut non sit etiam ex Filio, seclusa tamen princi-
pali origine procedendi? Certissime constat (ut supra graecos te-
stes auctores adducamus) quum dicitur Spiritus per Filium pro-
cedere, non significari, ut procedat tamquam per ministrum aut
instrumentum, haec enim omnia aliena sunt a theologica veritate:
sed procedit per Filium veluti consortem totius omnipotentiae Dei,
non tamquam ministrum aut servum; sed, ut ait Basilius, sub-
stantialiter secundum naturam supernae divinae potestatis. Quod
si haec perfectio et excellentia competit Filio respectu exterioris

creaturae, ut ab eo sive per eum procedat Spiritus sanctus, quanto magis in se et in natura propria illi competere omni ratione suadetur? Omne enim cui competit aliquid substantialiter et naturaliter, non autem ex accidente, prius et perfectius habet illud in se respectu sui ipsius, quam respectu cuiuspiam alterius extra se: sed personae Filii in divinis substantialiter et secundum naturam competit, ut sit ab eo, et procedat Spiritus sanctus respectu creaturae prout infunditur in creaturis rationalibus, et participatur ab illis: ergo prius et perfectius id Filius habet in natura propria. Quis enim negare audeat, quod prius et perfectius bonitas Dei in Deo sit, quam effundatur extrinsecus in rebus creatis? Sic profecto in omni re materiali et immateriali esse conspicimus: prius enim et perfectius solis radius qui habet etiam lumen a sole, illud habet in se et in natura propria, quam diffundatur in corpore lucido: et prius et perfectius habet ignis in se calorem, quam illud effundat in corpore calido. Sed prius et perfectius, et longe excellentiori modo omnis artifex in se habet formam rei per artem effectae, quam eam in re effecta producat. Ergo si Filius hoc habet ut a se procedat, et diffudatur, et illabatur in creaturis Spiritus sanctus, quem per Filium variis in donis Damascenus affirmat φανεροῦσθαι, καὶ μεταδίδοσθαι, idest *manifestari et distribui*; procul dubio ex eadem ratione hoc habet Filius prius in se, et in natura propria divinitatis. Sic ergo etiam procedit naturaliter et substantialiter Spiritus sanctus a Filio, non ut est charisma et donum in nobis, sed ut est donum in divina natura: quia per eamdem rationem, si est charisma et donum respectu creaturae, prius et perfectius est donum in divina essentia.

CAPUT X.

Explicatur ipsa ratio, et propositio particularius applicatur.

Sed ut hanc ipsam rationem, quam ego ex philosophica simul et theologica doctrina plurimum, nisi fallor, valere existimo, ad praesentem considerationem particularius applicemus. Videndum est quo pacto Filius, qui in divina essentia dare et distribuere dicitur Spiritum sanctum in creaturis, hac facultate praeditus possit intelligi, nisi hanc ipsam facultatem simul cum Patre ab ae-

terno possidere intelligatur: quia facultas haec non competit Filio ob id quod est consubstantialis Patri; sic enim competeret etiam Spiritui sancto, quod nullo modo conceditur. Ergo sic Filius hoc habet, ut a se proveniat sive procedat Spiritus sanctus, dum donatur et mittitur. Hoc procul dubio non habet ex accidente, neque ex tempore tamquam homo post carnem assumptam: id enim asserere non solum ridiculum, sed etiam impium putaretur; quia hoc habet Filius non ex famulatu et ministerio formae servilis quam ex tempore accepit, ut homo, sed secundum naturam supernae pietatis, quam ab aeterno possidet ut Deus. Ista igitur naturalis facultas mittendi et donandi Spiritum sanctum inest Filio in se, et in sua personali proprietate, ut est Filius Dei, non ut est Filius hominis, quia illi est ab aeterno cum Patre communis: quae facultas, quid tandem aliud est, quam hoc ipsum spirationis activae principium, per quod distinguitur generatio a processione et persona Filii, et persona Spiritus sancti? quod quidem principium distinctionis non innuit essentialem differentiam sed personalem proprietatem, et meram originis relationem. Nisi enim esset aliquid personale, quo Filius a Spiritu sancto distinguitur, eadem Filii et Spiritus sancti persona censeretur, quum uterque de Patre sit. Et quum uterque de Patre sit, rursum est, ut ait Greg. nys. Gregorius nyssenus, investiganda differentia, ut servetur id quod utrique commune est, et quod est proprium non confundatur. Nulla autem proprietas in personis divinis a rebus creatis dependere potest.

Si ergo mittitur et infunditur Spiritus sanctus a Patre ac Filio in creaturas, hoc est quia sit in se, et in sua personali proprietate ante omnem creationem idem sanctus Spiritus erat missibilis, et aptus natus infundi, et Filius pariter cum Patre erat aptus natus mittere et infundere, quia Filio Pater contulit quaecumque habet, quae proprietati Filii non repugnant, atque ob eam causam multa de Filio dicuntur, quae de Spiritu sancto nullo modo dici possunt. Ex quibus illa ipsa nativitatis et processionis differentia aliqua ex parte dignoscitur. Non enim sicut mittitur et infunditur Spiritus a Filio, sic mittitur et infunditur Filius a Spiritu sancto: nec sicut Spiritus dicitur Spiritus Filii et a Filio, ita Filius dicitur Filius Spiritus sancti et a Spiritu sancto: nec sicut Spiritus quaecumque audit a Filio, haec loquitur: ita Filius

quaecumque audit a Spiritu sancto haec loquitur: nec sicut Spiritus sanctus accipit de Filio, ita Filius accipit de Spiritu sancto: nec sicut coniungi et coaptari dicitur Filio Spiritus sanctus, ita dicitur Filius coaptari et coniungi Spiritui sancto, sed Patri: nec sicut Spiritus dicitur habere omnia quaecumque habet a Filio, sic Filius dicitur habere omnia quaecumque habet a Spiritu sancto, sed a Patre: nec sicut operatur per Spiritum sanctum Filius, ita operari dicitur per Filium Spiritus sanctus: nec sicut Spiritus sanctus dicitur imago Filii, ita Filius est et dicitur imago Spiritus sancti, sed solius Patris: nec sicut de Filio dicitur quod qualem habet ordinem Filius ad Patrem, talem habet Spiritus sanctus ad Filium, ita de Spiritu sancto dicitur, quod qualem habet ordinem Spiritus sanctus ad Patrem, talem habet ordinem Filius ad Spiritum sanctum.

Haec igitur omnia et quaecumque alia eiusmodi praerogativam, ut ita dicamus, personalem indicant in Filio respectu Spiritus sancti, et competunt personae Filii, ita ut nullo modo competant personae Spiritus sancti ratione principii et originis, quae communicabilis est Filio, quia non repugnat filiali proprietati, sed non communicabilis est Spiritui sancto, quia non stat simul cum eius proprietate, quia Spiritus est Filii, et a Filio, et non convertitur, ut Filius sit Spiritus sancti et a Spiritu sancto, ut recte Damascenus asserit. Hoc procul dubio esse dicendum est, quia quaedam transeunt a Patre in Filium per generationem, quae non transeunt in Spiritum sanctum per processionem: ipsa enim origo procedendi transit in Filium, cui (ut saepe dictum est ab omnibus Graecis doctoribus, Pater confert omnia dum ipsum generat, praeter quam ut sit Pater. Quod si sola paternitas excipitur, profecto spiratio non excluditur: quia (ut ait Cyrillus, quem supra retulimus ex libro thesaurorum) non solum natura, sed omnis naturalis proprietas a Patre transit in Filium: et quidem merito, non enim esset Filius absolutissime et perfectissime imago Patris, nisi Patri absolutissime et perfectissime coaequaretur secundum omnem modum coaequationis, quae aut verbis exprimi, aut intellectu considerari possit. Sed cur non potest intelligi ut Filius simul cum Patre spiret Spiritum sanctum? qui ab omnibus Photianis et Ephesianis intelligitur simul cum Patre mittere, donare, et infundere Spiritum sanctum, non tantum ipsa

charismata, sed ipsum dico Spiritum sanctum verum Deum, cuius praesentia ipsae naturales passiones animi, ut supra diximus, fiunt divinae virtutes. Non est ergo auferendum a Filio, id quod Pater intelligitur posse conferre Filio: quod nisi contulisset Filio, non esset Filius omnino perfecta imago Patris, neque perfectus splendor gloriae, neque perfecta figura substantiae eius, iuxta dictum apostoli, cui iam deesse intelligi posset aliquid, quod illi Pater conferre potuisset.

CAPUT XI.

Graecos theologos idem quod Latinos sentire quod Spiritus sanctus donum sit, et amor Patris et Filii.

Sed quum multa competant proprieque dicantur in Filio, quae neque competunt neque dicuntur in Spiritu sancto, illud potissimum in scripturis sacris vulgatum saepissime, quod Spiritus sanctus sit donum Dei, sive charisma Filii, unde illa orta est superius allata distinctio, aliud esse Spiritum sanctum, aliud charisma, quae si sic perfertur, vera non est: quia non est aliud Deus, aliud clementia Dei. Sed consideratione distinguuntur. In divinis tamen, quia Spiritus sanctus sit prius naturaliter donum, quam sit in nobis per participationem, non potest esse donum sive charisma, nisi Patris et Filii (ut supra ostensum est) amor, ut superius diximus, ab utroque procedens: amor sane longe alterius rationis, quam sit in nobis, qui dicitur a sacris scriptoribus ineffabilis ille ac mutuus complexus parentis ac prolis. Unde Hilarius antiquus theologus in Patre consideravit unitatem, in Filio aequalitatem, in Spiritu sancto unitatis aequalitatisque concordiam. Sed dicet mihi Graecus quispiam, qui mecum viam pacis et caritatis ingressus est, et mecum cupit discere, et doctior fieri, placere sibi haec nomina complexus, unitatis, et aequalitatis, et concordiae, quae a Latinis auctoribus referuntur: acute enim simul et sancte dicta illa videntur, quibus etiam Spiritus sanctus exprimitur esse mutuus complexus parentis et prolis; et recte in Patre considerari unitatem, a quo uno sunt omnia, etiam ipse Filius, et Spiritus sanctus: in Filio aequalitatem, quae a generante confertur in genitum: in Spiritu sancto unitatis aequalitatisque concordiam, quia non genera-

Hilarius

tionem, sed inclinationem naturalem in divinis dedit: sed non abs re quaerere a nobis, cur hoc a Graecis anctoribus non dicatur, timens ne novum aliquid et non dictum graecis patribus proferat.

Ego vero idem a doctissimis sanctissimisque fere graecis doctoribus dici animadverto. Complexus enim iste parentis et prolis, idest Patris et Filii, et concordia unitatis et aequalitatis, est illud quod intelligit Gregorius nazianzenus in sermone dicens: τὸ πνεῦμα τὸ ἅ- [Greg. naz.] γιον μέσον τοῦ ἀγεννήτου καὶ γεννητοῦ. Epiphanius quoque ex eodem sen- [Epiphanius] su dicit: τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐν μέσῳ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ: idest *Spiritus sanctus in medio Patris et Filii.* Iohannes vero damascenus lo- [Ioh. dam.] quens de Spiritu sancto, Gregorium theologum non nominans, eius verba suis dictis interserit dicens: τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον μέσον τοῦ ἀγεννήτου, καὶ γεννητοῦ: et subdit καὶ δι' υἱοῦ τῷ πατρὶ συναπτόμενον: idest *per Filium Patri coniunctus sive coaptatus Spiritus sanctus.* Sic ergo et Hilarius, et Augustinus et uterque Gregorius nazianzenus et nyssenus, et Damascenus, et Epiphanius et plerique alii, quos non affero, graeci theologi idem intelligunt, idem dicunt, et in modo dumtaxat rei exprimendae differunt. Quia sicut revera una est Trinitas, ita una est in nobis recte sentientibus de Trinitate veritas. Sed varie, ut in primo libro diximus, excipitur cogitationibus nostris, varie exprimitur vocibus nostris: amor enim et complexus, et concordia, et τὸ μέσον τῷ πατρὶ δι' υἱοῦ συναπτόμενον, idem referunt. Qui vero hac in parte aliud sentire Graecos, aliud Latinos existimant, se ipsos contradicendi studio seducunt. Damnant Latinos, et quidem summa cum impudentia quod Spiritum sanctum procedere asserant in divinis per modum amoris, et tamen ubique nominant Spiritum sanctum nomine doni et charismatis. Sed quodnam verius et excellentius est donum Dei, quam amor Dei, et caritas ipsa, quae Deus est? Dicant mihi, quaeso, Photiani scioli quid sibi velit in divinis illud μέσον ἀγεννήτου καὶ γεννητοῦ, quam idem illud quod a Latinis patribus aliquanto expressius dicitur, amor Patris et Filii, complexus parentis et prolis, et ut Hilarium exponens Augustinus ait, ineffabilis illa genitoris genitique suavitas. Hoc ex graecis patribus didicere latini, et non sibi ad libitum, non quasi novam theologiam finxere, id quod Latinis Nilus, Cabasilas, et Iosephus Briennius imputant, boni quidem viri, sed non quantum in tanta re oportuit eruditi, et qui recte nec Latinos intellexere, nec Graecos: conciliandi enim, non inter se collidendi sunt

orientis et occidentis doctores ecclesiae, qui sicut una eademque doctrina suis scriptis et monitis christianam rempublicam illustravere, ita nunc apud Deum summum et optimum in illa aeterna domo supremae felicitatis et gloriae una eademque luce fruuntur.

CAPUT XII.

Declarantur multa dicta Graecorum theologorum de Spiritu sancto disserentium, asserentiumque illum ipsum medium Patris et Filii, et tertium a Patre et Filio, et secundo loco post Filium.

Sed illud dubitari et quidem non ab re possit, cur ab iisdem graecis patribus dictus sit sanctus Spiritus medius Patris et Filii, et idem tertius a Patre et Filio, et secundo loco post Filium, ut supra ex sanctorum patrum graecorum auctoritatibus ostendimus. Quomodo medius, si tertius a Patre et Filio, et si secundo loco post Filium qui est immediate post Patrem? Sed haec difficultas solvitur, nec alia veritate solvi potest, nisi ut quum Spiritus dicitur medius geniti et ingeniti, non intelligatur ordo generationis et processionis, quia sic generatio praecedit, quantum in se est, processionem, quia prius ordine hypostatico et personali intelligitur Filius genitus, quam Spiritus sanctus procedens: et ex eo etiam prima persona Patris non spiratoris nomine nuncupata est: nec enim in divinis personis est ordo cum praerogativa temporis, quum sint coaeternae; nec cum praerogativa naturae, quum sint simul consubstantiales; neque cum praerogativa dignitatis naturalis, quum sint in eadem maiestate coaequales. Id ergo quod in divinis personis, sive prius sive dignius dicitur, notat et insinuat praerogativam prioritatis originis, quae exprimitur derivatione quadam personali, ut altera potius dici proprie debeatur ex altera, quam prior aut dignior aut maior altera per eos emanationis modos, quos supra retulimus. Sic ergo Epiphanius quum dixit Spiritum sanctum a Patre et Filio appellatione tertium, ordinem personalis originis quibus potuit verbis expressit: quum autem postea dixit Spiritum sanctum in medio Patris et Filii, proprietatem respexit personae, non ordinem, ut sanctus Spiritus intelligeretur amor et nexus Patris et Filii: et id quod sanctus vir Hilarius considerabat, Patri unitatem, ut supra ostendimus, attribuens, Filio aequalita-

Epiphanius

tem, Spiritui sancto unitatis aequalitatisque concordiam. Sed et Gregorius nazianzenus ipse quoque cum Hilario sentiens, patri unitatem attribuit, dicens: Greg. naz. φύσις τοῖς τρισὶ μία, ἕνωσις δὲ ὁ πατήρ, ἐξ οὗ καὶ πρὸς ὃν ἀνάγονται τὰ ἑξῆς: idest *natura tribus una, unitas autem Pater, ex quo et ad quem reliqua referuntur.* Quod autem aequalitas attribuatur Filio, passim apud omnes auctores graecos reperias. Sed idem Gregorius satis sit, qui in suis heroicis ait de Filio loquens: εἰκὼν ἀρχετύποιο, φύσις γεννήτορι ἴση: idest *imago archetypi et natura Patri aequalis.* Laudemus igitur, et quibus possumus laudibus extollamus in caelum sanctissimos patres, idem sub diversa verborum serie sentientes: nec damnentur Latini quasi curiosiores, quod accuratius et diligentius haec inter se dicta sanctorum considerare pia intentione voluerint: quaerentes eum, de quo in psalmis scriptum est, quaerite faciem eius semper. Quanto esset praestantius haec et eiusmodi cum caritate et pietate considerare, quam cum caecitate et affectata nescio qua inscitia calumniari!

CAPUT XIII.

Declarantur dicta Gregorii nysseni inter monstrandum graecos et latinos theologos antiquos idem de Spiritus sancti processione sensisse.

Velim profecto hoc loco libenter doceri ab iis, qui Latinis imputant quasi temeritatis vitium, quod utriusque emanationis divinarum personarum diligentiorem considerationem habere conati sunt; velim, inquam, ab his explicari mihi, quid sanctus, et non minus societate quam doctrina conspicuus Gregorius nyssenus sibi velit Greg. nys. in sermone illo ab Ablabium, sic loquens. Τὸ ἀπαράλλακτον τῆς φύσεως ὁμολογοῦντες, τὴν κατὰ τὸ αἴτιον καὶ αἰτιατὸν διαφορὰν οὐκ ἀρνούμεθα· ἐν ᾧ μόνῳ διακρίνεσθαι τὸ ἕτερον τοῦ ἑτέρου καταλαμβάνομεν, τῷ τὸ μὲν αἴτιον πιστεύειν εἶναι, τὸ δὲ ἐκ τοῦ αἰτίου· καὶ τοῦ ἐξ αἰτίας ὄντος ἄλλην πάλιν διαφορὰν ἐννοοῦμεν· τὸ μὲν γὰρ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου, τὸ δὲ διὰ τοῦ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου· ὥστε καὶ τὸ μονογενὲς ἀναμφίβολον ἐπὶ τοῦ υἱοῦ μένειν, καὶ τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς εἶναι τὸ πνεῦμα μὴ ἀμφιβάλλειν τῆς τοῦ υἱοῦ μεσιτείας, καὶ ἑαυτῷ τὸ μονογενὲς φυλαττούσης, καὶ τὸ πνεῦμα τῆς φυσικῆς πρὸς τὸν πατέρα σχέσεως μὴ ἀπειργούσης. Idest *quum nullam naturae diversitatem fateamur, causae quidem et causati differentiam non negamus: in quo*

solo distingui alterum ab altero existimamus, ut hoc quidem causam, illud vero ex causa esse credamus. Sed eius quod est ex causa aliam rursum differentiam consideramus: aliud enim continenter sive immediate ex primo est, aliud per id quod continenter ex primo est, ut et id quod unigenitum est, sine ulla ambiguitate maneat in Filio; et id quod est Spiritum esse ex Patre, non dubitetur intermediationem Filii, quae sibi id quod unigenitum est servet, et Spiritum naturali erga Patrem habitu non prohibeat.

Quo pacto intelligemus haec verba? altioris sane et obscurioris intelligentiae, sed quae his temporibus, bona cum venia dictum sit, facilius fortasse a Latinis quam a Graecis declarari possunt. Conabimur igitur, Deo bene iuvante, dicta sanctissimi patris aperire pro viribus, et quasi quadam paraphrasi simul sensum aemulari: ex quo apparebit id quod summopere cupimus, Latinos et Graecos identidem cogitatus suos utrimque in Domino iactavisse, sed solo idiomate et forma loquendi protulisse, non sensisse diversa. Profitemur, inquit Nyssenus, nihil esse in divina natura alterum ab altero diversum: hoc enim insinuat τὸ ἀπαράλλακτον: sed in ea tamen ordinem personarum considerantes, non negamus esse differentiam, quatenus ipsae tres personae indivisam naturam deitatis habentes, inter se differunt differentia causae et causati, quam Latini differentiam relationis sive ordinis sive principii dicere maluerunt: quia nomen causae et causati quod naturalibus et creatis rebus convenit, duriusculum visum est, quam ut divinis personis apte posset attribui. Nomen autem principii, in persona Filii legitur dicentis in Iohannis evangelio, ego principium, qui et loquor vobis: et in persona Patris in eiusdem apocalypsi dicitur, ego principium et finis. Haec ergo differentia eius quod est non esse ex alio, et esse ex alio, personas quidem distinguit, naturam non distinguit: quia tribus existentibus personis, una persona Patris a nullo est, reliquae duae Filii et Spiritus sancti a Patre sunt. Sed harum duarum personarum, quae ab alio idest a Patre sunt, rursum differentiam consideramus. Sed quaenam est haec differentia? Si ad evangelium symbolumque respicimus, nihil expressum habere videmur, nisi quod Filius ab alio est tamquam genitus, Spiritus vero tamquam procedens.

Sed cur Filius genitus dicitur, et cur Spiritus sanctus proce-

dens? Hoc est quod quaeritur. Nam, ut idem Nyssenus super orationem dominicam dicit, κοινοῦ δὲ ὄντος τῷ υἱῷ καὶ τῷ πνεύματι τὸ μὴ ἀγεννήτῳ, τουτέστι τὸ ἐξ αἰτίας εἶναι, πάλιν ἔστιν ἄμικτον τὴν ἐν τοῖς ἰδιώμασιν αὐτῶν διαφορὰν ἐξευρεῖν· ὡς ἂν καὶ τὸ κοινὸν φυλαχθείη, καὶ τὸ ἴδιον μὴ συγχυθείη: idest *quum commune sit Filii et Spiritus sancti non esse ingenitum, quod est esse ex causa, rursum est in suis proprietatibus exquirenda differentia, in qua mixtio non sit, ut servetur, quod utrique commune est, et id quod est proprium non confundatur.* Et hanc differentiam aliquanto expressius explicans sanctus hic pater subdit: ὁ γὰρ μονογενὴς υἱὸς ἐκ τοῦ πατρὸς παρὰ τῆς ἁγίας γραφῆς ὀνομάζεται, καὶ μέχρι τούτου ὁ λόγος ἵστησιν αὐτῷ τὸ ἰδίωμα· τὸ δὲ πνεῦμα τὸ ἅγιον καὶ ἐκ τοῦ πατρὸς λέγεται καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ εἶναι προσμαρτυρεῖται: idest *unigenitus Dei Filius ex Patre in sacris scripturis nominatur: et hucusque verbum constituit ipsi proprietatem: Spiritus sanctus enim et ex Patre dicitur et ex Filio esse, testimonio comprobatur.* Et subinde affert Nyssenus Paulum apostolum, qui dixit, misit Deus Spiritum Filii sui: declarans quod Spiritus sanctus dicitur Spiritus Filii. Sed Filius nullo modo neque est neque dicitur Spiritus sanctus. Ecce differentia proprietatis utriusque, Filii scilicet et Spiritus sancti, quam hoc loco, idest in hac superius adducta particula ad Ablabium per alia verba quasi magis intraneos sensus habentia, idem sanctus vir explicat, καὶ τοῦ ἐξ αἰτίας ὄντος; idest *Filii et Spiritus sancti.* Qui in hoc conveniunt, quod sunt non ex se ipsis, sed ab alio, scilicet a Patre. Ἄλλην πάλιν διαφορὰν ἐννοοῦμεν: idest *aliam rursum differentiam consideramus.* Quia scilicet ex his duabus personis quae sunt ab alio, idest a Patre, qui prima persona est, alia προσεχῶς, idest *contineuter*, sive ἀμέσως, quod immediate dicitur, ex Patre est, alia vero non προσεχῶς, neque ἀμέσως, sed per id quod contineuter et immediate sub Patre est, dependet, et procedit ab eo: ex quibus verbis differentia aliqua generationis et processionis ostenditur: et vult innuere, quod generatio, in quantum est generatio, in divinis origine praecedit processionem. Haec autem distinctio servat id quod utrique commune est, dum confitetur τὸ ἀπαράλλακτον τῆς φύσεως, et quod proprium est, non confunditur: dum Filius ex Patre solo intelligitur, et προσεχῶς ἔχων, idest *continenter*, et immediate sub Patre, Spiritus vero ex Patre et Filio, sive ex Patre per Filium, quia est διὰ τὸ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου, idest per Filium, qui immediate a Pa-

Greg. nys.

tris persona, quae prima est. Haec autem μεσιτεία, quam inter-
mediationem dicere possumus, neque a Filio tollit id quod sibi
est esse unigenitum, neque a Spiritu sancto id quod est sibi ha-
bere a Patre dependentiam et processionem; quia per hanc μεσιτεί-
αν, ita est Spiritus sanctus ex Filio, ut sit etiam ex Patre, quamvis
principaliter ex Patre: quia etiam Filius ipse cum omnibus, quae
sibi quovis modo competunt, ex solo Patre est, προσεχῶς καὶ ἀμέσως,
et sine ulla prorsus μεσιτείᾳ; id quod de Spiritu sancto nullo mo-
do dicitur, quum sit a Patre et Filio, sive a Patre per Filium.

Sed adhuc quaeret studiosus theologicae veritatis, quid sibi ve-
lit hoc προσεχῶς, καὶ διὰ τοῦ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου, et ex qua radice haec in
divinis personis intelligentia concipiatur? quia generatio praeintel-
ligatur et praeordinetur processioni, quod sit hoc τὸ ἀμέσως, καὶ τὸ
ἐκ τοῦ ἀμέσως. At vero prius eiusdem doctoris aliam particulam af-
feramus. Optimum enim interpretandi genus existimo, quum ex
dictis eiusdem auctoris, quem interpretamur, eius sensa colligimus.
Idem ergo nyssenus Gregorius in libro primo: πατὴρ μὲν ἄναρχος
καὶ ἀγέννητος, καὶ ἀεὶ πατὴρ νοεῖται· ἐξ αὐτοῦ δὲ κατὰ τὸ προσεχὲς ἀδια-
στάτως ὁ μονογενὴς υἱὸς τῷ πατρὶ συνεπινοεῖται· δι᾽ αὐτοῦ δὲ καὶ μετ᾽ αὐτοῦ
πρὶν τί κενὸν ἐστὶ ἀνυπόστατον διὰ μέσου παρεμπεσεῖν νόημα, εὐθὺς τὸ πνεῦμα
τὸ ἅγιον συνημμένως καταλαμβάνεται· οὐχ ὑστερίζον κατὰ τὴν ὕπαρξιν μετὰ τὸν
υἱὸν, ὡς ποτὲ τὸν μονογενῆ δίχα τοῦ πνεύματος νοηθῆναι· ἀλλ᾽ ἐκ μὲν τοῦ
θεοῦ τῶν ὅλων· καὶ αὐτὸ τὴν αἰτίαν ἔχον τοῦ εἶναι· ὅθεν καὶ τὸ μονογενὲς ἐστὶ
φῶς, διὰ δὲ τοῦ ἀληθινοῦ φωτὸς ἐκλάμψαν· οὔτε διαστήματι οὔτε φύσεως ἑτε-
ρότητι τοῦ πατρὸς ἢ τοῦ μονογενοῦς ἀποτέμνεται. Idest *Pater quidem non
ex principio, et ingenitus, et semper Pater consideratur. Ex ipso
autem continenter immediate unigenitus Filius intelligitur, una
cum Patre. Per ipsum autem et cum ipso, ante quam nova ali-
qua non subsistens intercedente medio intellectio intercedat con-
festim Spiritus sanctus unite comprehenditur, nihilo inferior Fi-
lio secundum essentiam, ut unigenitus momento aliquo sine Spi-
ritu esse intelligatur. Sed ipse etiam Spiritus ex Deo universo-
rum causam habet essendi. Quapropter et unigenitus lumen est,
sed per verum lumen refulgens, neque intervallo neque natu-
rae diversitate unigeniti essentia a Patre disiungitur.*

*Auctor huius operis publicis muneribus impeditus, dehinc immatura morte praeventus, non po-
tuit huic postremo volumini extremam manum imponere: pauca tamen deesse opinor, ut ex
totius libri lectione facile cognosci potest.*

INDEX CAPITUM.

LIBER I.

CAPUT I.

Quanta difficultas circumstet eum, qui de Spiritu sancto sicut et de universo Trinitatis mysterio disserit.

CAPUT II.

Quod fide opus est in sanctissima Trinitate intelligenda, et undenam circa ipsam de Spiritus sancti processione sententiam dissidia manaverint.

CAPUT III.

Quo pacto ipso in opera sit procedendum: et quod ante omnia Graecorum auctoritate theologorum utendum.

CAPUT IV.

De sanctissima Trinitate summatim clarissimeque quantum pertinet ad praesens institutum.

CAPUT V.

In quo Latini cum Graecis de sanctissimo Trinitatis mysterio, sentiant et in quo dissentire ab illis videantur.

CAPUT VI.

De nominibus personarum sanctissimae Trinitatis ex graecis auctoribus, et quod Pater et Filius sunt unum principium Spiritus sancti.

CAPUT VII.

Communia quaedam de sanctissima Trinitate tam Graecis quam Latinis proponuntur, ut inde possit colligi solam esse in verbis non in re dissensionem.

CAPUT VIII.

De humana erga Deum cognitione, deque vestigio sanctissimae Trinitatis in rebus creatis.

CAPUT IX.

De proprietatibus divinarum personarum ex Hilario et Augustino.

CAPUT X.

De Trinitatis imagine ex Augustino praecipue; ibique ipsius Augustini multae laudes afferuntur.

CAPUT XI.

Admonitio ut Augustini sensa pensentur; ibique de iis quae dicuntur attribui personis divinis.

CAPUT XII.

Quid Latini de Spiritu sancto, et quo pacto a Patre et Filio procedere decernant.

CAPUT XIII.

Quod inter antiquos theologos graece scribantes, et latinos, nolla est de Spiritu sancto dissensio.

CAPUT XIV.

Remotio obiectorum.

CAPUT XV.

Confirmantur quae dicta sunt auctoritate graecae linguae theologorum.

CAPUT XVI.

Epilogus superiorum, et confirmatio, et explicatio, et Graecorum admonitio.

LIBER II.

CAPUT I.

De prima graeci schismatis excusatione super nicaeno concilio perperam fundata.

CAPUT II.

De secunda excusatione, qua praetendere Graeci evangelicas auctoritates nituntur.

CAPUT III.

De tertia excusatione, quam super apostolicis verbis graeci schismatis auctores fundaverunt.

CAPUT IV.

Eversio primae excusationis super nicaeno concilio fundatae: ubi longo progressu de synodis agitur, et quae et quot fuerint, et quae in eis de sanctissima Trinitate, deque processione Spiritus sancti decreta, et quae symbola promolgata fuerint explicatur.

LIBER III.

CAPUT I.

Eversio secundae et tertiae excusationis Schismaticorum, quas super evangelicis et apostolicis verbis fundare satagehant.

CAPUT II.

Solutio primi argumenti, quo Photius utebatur ad schismatis defensionem.

CAPUT III.

Solutio secundi argumenti.

CAPUT IV.

Solutio tertii argumenti.

CAPUT V.

Quarta Photii ratio dissolvitur.

CAPUT VI.

Dissolvitur quinta Photii ratio.

CAPUT VII.

Sexta Photii ratio dissolvitur.

CAPUT VIII.

Septima et ultima Photii dissolvitur.

CAPUT IX.

Quam perniciose et insulse laboraverint, qui post Photium tueri schisma curarunt.

CAPUT X.

Diluitur calumnia ex evangelio perperam surrepta pro schismate refovendo.

CAPUT XI.

Respondetur obiectioni, quae ex verbis Dionysii male perceptis principium sumpsit.

CAPUT XII.

Dissolvitur prima obiectio, quae ex scriptis Iohannis damasceni traxit originem.

CAPUT XIII.

Refellitur secunda obiectio ex Damasceno sumpta.

CAPUT XIV.

Retorquentur in Schismaticos tela, quae de corruptis Basilii et Gregorii nysseni codicibus in Catholicos iaculabantur.

CAPUT XV.

Solvitur ratio ex responsionibus parata.

LIBER IIII.

CAPUT I.

Quodnam diverticulum excogitarint Schismatici de Spiritus sancti aequivocatione, et quo pacto inde extrudentur.

CAPUT II.

Referuntur multa ex sacris litteris, quibus vanitas schismatici diverticuli clarius percipiatur, deprehendique facilius queat nodus conciliandae quaestionis.

CAPUT III.

Confirmantur, quae sunt allata, ibique de gratia et donis Spiritus multa tractantur.

CAPUT IV.

Confirmantur item ex graecis auctoribus, quae supra fuerunt allata.

CAPUT V.

De generationis et processionis differentia.

CAPUT VI.

Cognitam etiam fuisse graecis doctoribus antiquis ipsam generationis et processionis divinae differentiam.

CAPUT VII.

Removetur obiectio, qua nituntur quidam efficere ne Graeci et Latini vi eorum, quae supra sunt allata, conveniant.

CAPUT VIII.

Quod antiquiores graeci theologi de aeterna Spiritus sancti processione pareius loquuti, et quod tota quaestio de verbis est, quoniam re ipsa Graeci Latinique idem sentiunt.

CAPUT IX.

Ratione suadetur Spiritum sanctum a Filio procedere.

CAPUT X.

Explicatur ipsa ratio, et propositio particularius applicetur.

CAPUT XI.

Ostenditur graecos theologos idem quod latinos sentire, quod Spiritus sanctus donum sit, et amor Patris et Filii.

CAPUT XII.

Declerantur multa dicta graecorum theologorum de Spiritu sancto disserentium asserentiumque illum ipsum medium esse Patris, et tertium a Patre et Filio, et secundo loco post Filium.

CAPUT XIII.

Declarantur dicta Gregorii nysseni inter monstrandum graecos et latinos theologos antiquos idem de Spiritu sancti processione sensisse.

MONITUM

Vacuum sequentium paginarum spatium occupare mihi placet praefatione inedita operis aeque inediti, quod cl. Caietanus Marinius de inscriptionibus doliaribus *paraverat et eruditis commentariis instruxerat: quod utinam aliquando lucem aspiciat!*

PREFAZIONE

DI M. GAETANO MARINI

ALLE ISCRIZIONI ANTICHE DOLIARI

ALLE QUALI DAVA PER GIUNTA QUELLE DE' SIGILLI DI BRONZO E DEGLI ACQUEDOTTI DI PIOMBO.

L'opera che io do ora alle stampe fu scritta negl' infausti anni 1798. 1799. e mi è sopra le altre carissima, perchè aiutato da essa potei alleggerire i mali, che opprimevano lo spirito, occupandomi in un intraprendimento faticoso sì, ma piacevole, di non difficile trattazione, e tutto proprio delle circostanze di que' tempi, pieni di non grata frugalità, di avvilimento, e di miserie. Però, lasciate allora stare le nobili e grandiloquenti iscrizioni incise ne' marmi, ne' metalli, e nelle gemme, mi consecrai tutto al dio *Laterano* (1), e mi feci a cercare, e meditare *vasa exquilina* (2), *simpuvium Numae, nigrumque catinum, et vaticano fragiles de monte patellas* (3); e fatta una diligente perquisizione nei libri, ne' quali sono riportati i mattoni antichi, ed altri lavori doliari insigni per le parole, che quando la creta era ancora fresca, col mezzo di un sigillo, il più delle volte circolare, vi furono impresse, ed insieme uniti gli stampati, ed i molti delle mie schede non ancora stampati, mi avvidi di avere soddisfatto all' erudito desiderio, ch' ebbe già il P. Zaccaria (4), che un qualcuno ci desse sopra i lavori figulini un' opera compita; e di essere felicemente pervenuto ad una forse general collezione di cotali leggende, ricca di oltre a due mila, conservateci tutte nelle tegole, nei dolj, nelle diote, anfore, urne, lucerne, ed altri arnesi argillosi; e per giunta, comportandolo la qualità de' monumenti, e la somiglianza delle formole, ed animandomi a ciò l'autorevole esempio del Fabretti (5), ho allogato in fine più di 500. sigilli quasi tutti di bronzo, e sopra a 250. condotti di piombo letterati. Ma sarà poi vero che io abbia potuto raccorre tutte le iscrizioni doliari, e quelle de' sigilli, e delle fistule aquarie stampate? Chi potrebbe darsi un tal vanto? I libri sono infiniti, e non farebbe nulla chi facesse per modo da non lasciarne veruno intatto; senza che in ogni cosa *modus est optimus*.

È incredibile il frutto, che si ottiene da coteste universali raccolte, e la luce che una cosa diffonde sopra dell' altra dello stesso genere quando avvenga di vederle avvicinate, ed una collocata accanto dell' altra. Per tal via certamente diviene spesse volte chiaro e facile a comprendersi quello che era prima oscurissimo ed inesplicabile. E se a taluno sembrasse lo studio di queste, che vorrà nominare quisquilie antiquarie, spregevole e di poco o niun uso, oda ciò che prima di por mano alla spiegazione di tre tegole scrisse il ch. Barone di Bimard (6): *quando uno si dà allo studio dell' antichità, non dee egli trascurare alcun monumento non involato dal tempo; conciossiacchè niente ci ha, che non possa recare soddisfazione alla nostra curiosità, e non serva utilmente al progresso delle nostre cognizioni. Ed è perciò che i dotti degli ultimi secoli non contenti di aver cercato quanto di erudita racchiudevasi ne' marmi e ne' metalli, si sono dati a far conserva di tutti i mattoni scopertisi, e di quelli soprattutto che erano arricchiti di una qualche iscrizione.* Della utilità

(1) Arnobio adv. Gent. L. IV.

(2) Varrone de L. L. L. IV. p. 15. ed. Dordr., Festo V. solinum.

(3) Giovenale Sat. VI. v. 342.

(4) Di un' antica villa del Tusculo p. 27.

(5) Questi nel cap. VII. della sua opera dopo le figuline stampò i sigilli, ed i condotti di piombo.

(6) Mem. des inscr. et B. L. T. XV. p. 432.

e merito di queste aveva già un non differente giudizio pronunziato il celebre Falconieri nella lettera al Dati, colla quale illustrò la recata al n. 453. e tale fu il principio di essa: *niuna cosa può farsi, per mio avviso, da chiunque desidera di giovare agl' investigatori del vero, o sia nella cognizione delle scienze o delle arti, o negli studj delle belle lettere, la quale al fine proposto più conferisca, dell' osservazione di quelle cose, che apparendo di minor pregio, sono dal maggior numero di coloro, chi vi applican l'animo, o non avvertite, come minime, o come inutili trascurate, e lasciate da parte.* Quindi ben a ragione col Grutero si querelò il lodato Fabretti (1), che *antiquarum figlinarum notas leviter in tanto voluminum percurrisset*, ed aves' egli, e lo Smezio, e l' *Orsato* lasciata a *lui* quasi intatta cotesta provincia, che pur era di molta importanza.

I soli fasti consolari di quanto non sono eglino debitori alle nostre terre cotte! quanto hanno esse contribuito a farci conoscere le vere e genuine famiglie di parecchi consoli, che o n' erano senza, o ci si presentavano con sale, che non ebbero! Sapevasi già questo per una celebre lettera del Noris, per le opere del Fabretti, per le note del Giorgi alla critica baroniana del Pagi, e pel mio libro degli Arvali: ma quanto maggiormente si saprà ora per il presente, in cui più di 250. figuline vengono riportate, insigni tutte pe' nomi de' consoli, che precedettero quando quelle furono lavorate? Quanto però è certo che spesso avviene di leggervi questi, altrettanto è falso, che, come si fece a credere il conte di Caylus (2), *possa un curioso e dotto uomo in Roma, raccogliendo i nomi impressi ne' mattoni, accozzare insieme una serie d' illustri magistrati, sotto la cura, e gli ordini de' quali furono molti celebri monumenti o fatti o risarciti.* Nulla mai di tutto ciò, e *Calpurnio* (doveva dir *Calpetano*) del n. 23. fu ben altro che l' *edile*, o il sovraintendente destinato da Traiano alla fabbrica, da cui si ebbe quel numero: ben debbono alle greche tegole, e ai manichi de' vasi i lor nomi a vita molti magistrati eponimi della Sicilia, ed i mesi, che in quell' isola ebber corso particolarmente (3).

